



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. Lib. Quarti sunt XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

torum confessiones audiat: posse tamen licentiam concedere: quia delegare, inquit, est iurisdictionis, quam non habet excommunicatus: at licentiam concedere, ut auctoritate alteri Patocho subijcere. Iuxta hoc dicit Paludanus, Episcopum excommunicatum non posse alteri delegare vices suas, posse tamen concedere, ut alter Episcopus suis subditis indulgentias conferat. Hæc sententia mihi dubia videtur, quia videtur, etiam esse actus iurisdictionis, huiusmodi licentiam dare. Sed probabilis Paludani sententia est.

Octavo quaeritur, An Indulgentiæ concessæ ab Episcopo, proficiunt ipsi, si opus fecerit, eo quod alijs Indulgentiæ conceduntur: Ratio dubitandi est, quia nemo potest vi iurisdictione in seipsum. Communis est sententia prodesse. *Richar. in 4. distin. 20. art. 4. q. 3. Palud. ibid. q. 4. art. 3. concl. 5.* & ratio est, quia non vitur directo iurisdictione in seipsum, & quia non est peioris conditionis quam alij, De Canonica quarta portione Episcopis debita agam, *lib. 8. c. 24. de charitativo, ut vocant subsidio Episcopis dari solito, dicam, lib. 8. c. 26.*

Finis Libri Tertij.

IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE- TATE IESV

INSTITUTIONVM MORALIVM Pars secunda:

LIBER QVARTVS.

De Cardinalibus Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM.

Ratio quaeritur, Vadenam, & quo tempore sit nomen Cardinalis, acceptum? Respondedo, à cardine Cardinalem esse dictum: Cardio autem, ferramentum est, circa quod fores vertuntur. Vnde cardines dicuntur duæ cæli partes immobiles sibi mutuo oppositæ, quarum vna est ad Septentrionem, altera ad Austrum sita, & dicuntur poli, & vertices mundi cardio item significat id quod est in negotio, causa, & controuersia præcipuum. Vnde Cardinalis dicitur etiam quasi principalis. Sic quatuor virtutes Cardinales dicuntur *apud Ambros. lib. 5. in Lucam: quatuor item venti Cardinales, & quatuor mundi partes Cardinales apud Senium.* Sanctus item Augustinus *li. 1. de Baptis. c. 6.* Cardinales Donatistas appellat, hoc est, primarios, & principales apud ipsos. Quare Cardinalis Episcopus iuxta hunc sensum, erit primarius, & principalis Cardinalis Presbyter, Cardinalis Diaconus, Cardinalis Clericus, est Principalis Presbyter, Diaconus, vel Clericus, vel Canonicus. *Cap. in nomine Domini. distinctio. vigesima et tria.* vocantur Episcopi Cardinales, & Clerici Cardinales *Cap. Ministerium de officio. Archiepiscopi, Sacerdos Cardinalis. Cap. Praesul. l. 1. q. 5.* Presbyter Cardinalis, Diaconus Cardinalis.

Sunt qui censent S. Gregorij I tempore Cardinalem Episcopum vel Presbyterum dici eum, qui cum ad certam Ecclesiam promotus fuerat, ad aliam episcopo, vel Presbytero destitutam, & viduatam transferebatur, quicquid non dicebatur absolute, vel simpliciter Episcopus, vel Presbyter, cum in duabus Ecclesijs vnus ordinatus, esse iure non posset, sed dicebatur illius Ecclesiæ ad quam erat translatus, Cardinalis Episcopus, vel sacerdos, hoc est, ad eam traductus, & proinde ipsi obstrictus, & mancipatus.

Et hoc sensu explicant multa, quæ habentur in epistolis S. Gregorij primi. Et in vita ipsius, per Ioannem Diaconum descripta. Nam *lib. 3. c. 16.* ita scribit ipse Ioann. Diaconus. *Expulso Episcopo, tam cito in Cardinalem non poterat, vel quorum reditu ad proprias sedes contingere posse sperabat. C. 18. Licet vacantes Episcopos vacantibus Cuiuslibet in Cardinalem studuerit, Demetrium Episcopum Neapolitanum ob crimina deposuerat. Cum ab eisdem Neapolitanis in Cardinalem sibi Paulum Neapolitanum Episcopum magnopere quereretur, tribuit illis Visitationem, Cardinalem vero constituere recusauit. & eod. lib. c. 15. in Cardinalem Ecclesiæ scribit eum, qui aliunde translatus viduatæ Ecclesiæ præficitur. ca. 19. aliarum Parochiarum Clericos sibi, & alijs Pontifex in Cardinalem curabat. c. 7. in ordinandis Episcopis, neque Cardinales Ecclesiæ suæ, neque Monachos Monasterij sui penitus excusauit, quo minus illis Ecclesiam rogandam committeret. Verum enim vero Cardinalem, aut in Cardinalem, aut Cardinalem Sacerdotem constituere, in Epist. S. Gregor. aut apud Ioan. Diaconum non solum videtur significare id, quod transferre aliunde, & certæ Ecclesiæ præficeret Sacerdotem translatum, sed idem etiam, quod ordinare, & in aliqua Ecclesiâ simpliciter constituere. scribit enim *lib. 3. c. 10.* idem Ioan. Diaconus. *Cardinales in forensibus Parochijs promotos, in pristinum Cardinalem renocant. & apud Vitruv. lib. 4. c. 6.* Scapi Cardinales dicuntur, hoc est, annexi, inserti, & compacti. item *lib. 10. c. 20.* capricoli cardinati. c. seq. tigna cardinata, hoc est, inserta, & veluti annexa. Quare existimo tempore S. Gregorij, & longe ante eum dupliciter dici Cardinales, vel quia erant certæ sicuti Ecclesiæ adscripti, & veluti inserti, aut quia erant Primarij, & principales. Et hoc etiam dupliciter, vel quia Ecclesiæ, cui erant addicti, & obstricti, erat principalis, vel quia ipsi Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, vel Diaconi inter cæteros eiusdem Ordinis eminebant. Sic enim apud S. Ambr. quatuor virtutes Cardinales vocantur, & apud S. Cyprianum. extat libellus de operibus Christi Cardinalibus sic inscriptus apud S. Augu. vero, ut prædiximus, Donatistæ Cardinales nominantur. Hinc illud in e. Ministerium, de officio Archiepiscopi: *Diligenti cura prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, id est, principalium, quorum erant in celebrioribus festis diebus solemnibus ritu rem diuinam facere. Ex quo etiam factum est, ut in quibusdam Ecclesijs sint inter Canonicos hodie etiam dicti Canonici Cardinales: ut in Compostellana Ecclesiâ, licet plures sint Canonici, sex tamen septemue Cardinales vocantur: qui Paschalis I L. privilegio, & diplomate sacrificium faciunt, solemnibus ritu in altari maximo, sub quo iacet corpus S. Iacobi Apostoli, ut testatur Mariana. lib. 10. de rebus Hispania c. 6. & olim in Ecclesiâ Rauennate, & in Aquileiensi quoque, Mediolanensi, Beneuentana, & Pisana, teste Anaslasio, Germanio lib. 3. de Sacrorum immunit. cap. 6. Canonici Cardinales vocabantur, tanquam Canonici Ecclesiarum principalium, vel tanquam reliquis eiusdem Ecclesiæ Canonicis digniores: quorum certa quedam insignia erant, quibus à reliquis Canonicis discernebantur. Glossa in e. Puidor. 32. q. 2. Per derisionem, inquit, dicitur Cardinalis Rauienna sicut dicitur Rex Schacorum. In c. Sacrosancta, distinctio. 22. ad finem dicitur: *Hac vero Apostolica Sedes, caput, & cardio (ut præfatum est) à Domino, & non ab alijs constituta est: & sicut cardine ostium regitur, sic huius Apostolica Sancta Sedes auctoritate, omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.* Sic ibi. Vnde fortassis dicti sunt Cardinales**

sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à cardine, videlicet, quia eorum consilij Ecclesia Romana, quæ est omnium Ecclesiarum cardo dirigitur. Videtur igitur Cardinalis nomen Siluestri I. tempore vsitatum in Ecclesia Romana fuisse.

Secundo queritur, An olim Episcopi solum dicti fuerint Cardinales? Fuere quidam qui dixerint, S. Gregorij Magni tempore, & ante ipsum, Cardinalis nomen tantum Episcopis insignium Ecclesiarum tributum, & datum fuisse: vt enim constat ex Epistolis eiusdem S. Gregorij, Episcopi tantummodo, non omnes sed principales vocantur: quod probant ex c. Relatio 21. q. 1. c. Pastoralis; 7. q. 1. c. Fratritatem; Distinct. 70. c. Presbyteri dist. 24. Cæterum ex Concilio Romano à Siluestro I. coacto patet Presbyteros etiam & Diaconos dici Cardinales. Nam c. Praesul. 2. q. 5. dicitur: *Presbyter autem Cardinalis, nisi cum sexaginta quatuor testibus non deponatur: Diaconus vero Cardinalis Vrbs Roma, nisi cum viginti septem testibus non condemnatur*, & cap. à Subdiacono, dist. 93. habetur: *Vt omnes Clerici inferiores Subdiacono subditi sint Diacono Cardinali*. Et in Concilio Romano paulo ante memorato, Canone 6. sancitum est, vt Diaconi non essent plures per Patochiarum examen nisi duo; & Cardinales Vrbs Romæ septem.

Tertio queritur, An Cardinalium Ordo sit iuris diuini, hoc est, à Christo Domino institutus? De hac questione tractat Cardinalis Albanus, lib. de Cardinalib. q. 5. Dux sunt opiniones, quarum Prima affirmat, quam inter Canonici iuris interpretes sequuntur, Panormitanus inc. Per venerabilem, qui filij sint legis. & quidam alij inter Theologos, Titulocremata in Summa lib. 1. c. 80. & 83. August. Triumphus in Tract. de Potest. Ecclesia. q. 102. B. Antoninus 3. par. Tit. 21. c. 1. & 2. & inter iuris Pontificij interpretes Martinus Laudensis in tract. de Cardinal par. 1. q. 34. & part. 2. q. 7. & q. 11. Barbat. in tract. de Card. praesul. q. 1. Cardinalis Albanus q. 5. vbi citat Romanum, Iasonem Decium, & alios id ipsum affirmantes: quam etiam opinionem colligunt ex c. Per venerabilem, qui filij sint legis, rationibus, vbi Pontifex ait, suos fratres, quos sic vocat, ipsos Cardinales, in Leuitici generis sacerdotibus fuisse adumbratos; & deducitur etiam ex cap. fundamenta, de elect. in sexto, §. decet, Deinde, quia Cardinales videntur 72. Christi Domini Discipulis successisse, qui fuerunt duodecim Apostolorum ad iutores, sicut Cardinales sunt Romano Pontifici à consilij. Accedit quod dicitur 1. Regum 2. Domini sunt cardines terra, & posuit super eos orbem Eugen. IV. in Epist. ad Episcopum Cantuariensem, quam refert Iacobatus in lib. Concil. 1. n. 252. ait, Apostolos Christo Domino assidentes; figuram retulisse Cardinalium qui Romano Pontifici assistant: Apostolos vero in totum terrarum orbem missos ad Euangelium annunciandum, typum & similitudinem tenuisse. Episcoporum, qui sunt per prouincias distributi. Secunda opinio, Soto in primis in quarto, dist. 24. q. 2. art. 4. & multis alijs probata, negat eos iuris esse diuini: eaque nititur ratione, quod Romanus Pontifex Cardinales creauit, vt eorum consilij iuuaretur, eorumque opera in Ecclesiæ gubernatione vteretur. Neque legimus villos esse à Christo Domino Cardinales, vt Cardinales sunt, institutos. Nec vsquam sacre litteræ Cardinalium meminunt: & hierarchia Ecclesiastica diuina ordinatione instituta, constat Episcopis, Presbyteris, & ministris Et hæc opinio quibusdam probabilior videtur esse. Et de Cardinalibus intelligitur, non vt sunt Episc. & Diac. sed solum vt sunt Cardin. nam præter Ordinem Episcoporum, Presbyt. & Diacon. nihil aliud Cardinales habent, nisi Romanorum Pont. assidere, vt ipsum suo consilio, opera, studio, industria, & cura iuuent, cõia totius Ecclesiæ negotia tractent. Vnde præter tres Ordines dictos, tota Cardinalium potestas à Rom. Pontificibus manauit ac fluxit, sc. quod Pontificem eligant, quod in Pontificis comitijs assistant; quod suffragia ferant, sententiam dicant, consilia dent, Ecclesiæ negotia conficiant. Quemadmodum enim in alijs ecclesijs, quibus præsunt episcopi, Canonicorum

sunt Collegia, quibus præficitur Decanus, sive Præpositus: sicut Eccl. Rom. est sacrum Cardinalium Collegium ab ipsis summis Pontificibus institutum. Iuris tamen diuini est, vt summus Pontifex tanquam Christi Vicar. habeat Episcopos, Presbyteros, & Ministros tanquam adiutores. his. n. constat Ecclesiast. hierarc. diuina ordinatione instituta Conc. Trid. sess. 23. can. Negari nõ potest, Cardinales, vt sunt summi Pont. adiutores, consilij, operarij, adumbratos fuisse in sacerdotibus. & ministris Leuit. generis, & hoc est, quod dixit Innocent. 3. in c. per venerabilem, & quod docuerunt S. Anton. Turcremata, & August. Anconitanus; nomen tamen Cardinalium, officium, dignitas, numerus, dist. Titulorum, & alia priuilegia, quibus Cardinales potiuntur, à summis Pontificibus sunt instituta. Et illud. R. 2. Domini. sunt cardines terre: non probat, vt etiam Panor. adnotauit, Cardin. esse iure diuino institutos, nam sensus eius loci est, vniuersam terram esse creatam à Deo, & columnis eius orbem terrarum esse suffulsum. Tribuit Scriptura more nostro loquendi, terræ columnas, quasi columnis erectis innitatur, cum tamen eam Deus creauerit & conseruet pondere, & grauitate sua libratam.

Quarto queritur, quanta sit Cardinalium antiquitas? Quidam existimant Cardinalium originem à S. Greg. I. alij vero à Siluestro I. tempore repetendam esse; Alii, eam referunt ad Marcellum, nonnulli demum ad Pontianum. Eug. IV. in præcitata epist. ait, Cardin. nomen non fuisse initio nascentis Ecclesiæ expressum, munus tamen & officium à B. Petro Apostolo, & eius successoribus euidenter institutum. Onuphrius putat, Cardin. coepisse à Cleti, & Euaristi etate: Nam Cletus, inquit, fuisse Bibliothecario ex Damaso, Presbyteros Roma ad viginti quinque numerum auxit: Euaristus vero, Apostolorum instituto, ad septenarium numerum in Ecclesia Rom. Diac. redegit; & Titulos in Vrbe Presbyt. diuisit, vt unusquisque sua parocchia terminis & limitibus. Astringeretur. Quibus et illud addidit, vt Episc. concionantem per vias custodirent. Deinde Hyginus, teste Damaso, Clerum composuit, & Cleri gradus distinxit, vt alij essent superiores, alij inferiores; alij præessent: contra alij subessent: & singulis à se inuicem secreti in sua Vrbe regione, titulo, vel parocchia, confusionis tollenda gratia, diuina mysteria populum doctes diligenter sacramenta Dei omnibus ad se venientibus Christianis conferrent: ac prout singulos Presbyteros in unoquoque titulo, Clericos & Presbyteros constituit. Ait. n. Anasiasus ex Damaso: Hic clerum composuit, & distribuit gradus: & tunc, inquit Onuphrius, Presbyterorum Cardinalium nomen effluxit, vt is, sc. diceretur Presbyter Cardinalis, qui ceteris Presbyteris eiusdem tituli præesset: antea n. cum vnus tantum per singulos titulos Presbyter fuisse, Cardinalis non dicebatur, eo quod non nisi vnus in unoquoque titulo Presbyter eligebatur. Post Hyginum Dionysius Titulos in Vrbe Romana plures fecit. Sic. n. ait Damasus: Hic Presbyterus diuisit Ecclesias, & cæmeteria, & parocchias, videlicet et extra. Vrbe, & dioceses constituit. Et de Marcello testatur idem Damasus, eum viginti quinque Titulos Roma constituisse quasi dioceses, & ad martyrum sepulchra, tã ad Baptismum, & penitentiam multorum, qui ad Christi fidem & religionem conuertebantur ex Paganis, repudiatis falsis & vanis gentilitium Dijs. Verũ quicquid dicat Onuphrius, Cardinalium nomen ante Siluestri tempus nõ legitur. Deinde Cardinalis Presbyter, vel Diac. nõ solũ dicebatur, quia ceteris Presbyteris, vel Diac. eiusdem tituli, vel Diaconie præesset, sed etiam, quia Ecclesijs in Vrbe Roma præficeretur, quæ ceteris principales essent: & propterea Presbyteris, vel Diac. nomen Cardinalium dabant quemadmodum Cardin. dicitur, non quod præfice alijs eiusdem Ecclesiæ Episcopis, sed quod principalior sit reliquis aliarum Ecclesiarum Praesulibus. Et hoc nomine distingui, & appellari coeperunt Card. Siluestri I. tempore: sed raro eo tempore id nomen dabatur. Gregor. I. seculo coepit frequentius id nomen pluribus Episcopis tribui.

Quinto quartur, Quotplex sit Cardinalium gradus & ordo? Resp. triplicem esse, alij enim sunt Episcopi, Cardinales, alij Presbyteri, alij Diaconi. Sicut enim Collegia Canonicorum ex Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & alijs inferioribus Clauicis constant? sic etiam sacrum Collegium Cardinalium habet Episcopos, Presbyteros & Diaconos: nec quisquam Cardinalium sine Diaconi saltem titulo creati solet: nec inter Cardinales in comitijs suffragium fert, præsertim cum de eligendo Pontifice tractatur, qui Diaconus non sit, *Clem. vt hi, qui §. illius 20. de at. & qualis.*

Sexto quartur, Quot sint Tituli Episcopus Cardinalium, quot item Presbyterorum, quot Diaconorum Cardinalium? Resp. olim quidem Titulos Episcop. fuisse septem vel octo, Hostiensem, Veliternum, Siluæ Candidæ, alias S. Ruffinæ, Portuensem, Sabinum, Prænestinum, Tusulanum, Albanum. Nunc vero sunt sex, eo quod Ecclesia Veliterna Hostiensis, Eugenij III. auctoritate ad iuncta fuit: & Ecclesia S. Ruffinæ, quæ alias dicebatur sanctarum Virginum Ruffinæ & Secundæ, ante Eugenium III. Callistu I. tempore, coniuncta est cum Ecclesia Portuensi. Teste Onuphrio *lib. de septem Vrbis Ecclesijs, c. 1.* His septem Episc. aliquando fuerunt alij additi sub Leone IX. & Paschali II. Episc. Veliternus. Sub Urbano II. Episc. Nepefinus, & Episc. Parmensis. sub Innocent. II. Archiepisc. Pisanus, Mutinensis, Ortanus, Tyburtinus, & nouissime sub Leone X. Reatinus, & iterum Tyburtinus. At post Innocentij I. & Eugenij III. tempora, vsque ad nostra, perdurauit sex tantum Episcoporum Cardinalium numerus: In quibus qui cæteris ratione suæ ordinationis antiquior erat, Prior, & deinde Decanus Collegij Cardinalium dicebatur. Paulus I V. instituit vt is Decanus esset, qui moriente Decano antiquior alijs Episc. Cardinalib. in Vrbe præsentibus, vel etiam absentibus, ecclesiæ tamen causa, fuisset. Inter hos episc. Cardinales magno in honore est habitus Hostiensis; cuius est ab antiquo tempore, vt ait August. 165. Romanum Pontificem consecrare: ac propterea ipse inter episcopos pallio, quod est Archiepiscopi insigne, vitur, ex Marci Papæ instituto, vt Damascus testatur. Tales porro episcopi, eo quod Vrbi Romanæ finitimi & vicini essent, ob negoria Curiam Romanam frequentate consueuerunt, & honorari & colipræ cæteris cœperunt, tanquam summo Pontifici, vt Vrbs Archiepisc. subiecti, & eiusdem Suffraganei. Quo factum est, vt Card. episc. ante Leo IX. tempora cœperunt nominari, hoc est, principales, siue primarij episcopi, eo quod essent cæteris reliquarum ecclesiarum episcopis celebriores, & insigniores.

Presbyterorum Cardinalium Tituli olim erant viginti octo: quos Titulos enumerat Onuphrius in *opusculo de Cardinal. & alijs*, & nos paulo infra subiiciemus. Erant. n. ab antiquo tempore Roma, dicit Onuphrius, quatuordecim regiones, & quamuis tunc fortassis singulis regionibus singuli Presbyteri præficerentur; crescente tamen numero Christianorum, vel plures Ecclesia in singulis regionibus erecta sunt; vel duo in unaquaque regione Presbyteri constituti; ac propterea facti sunt 28. Tituli. Sic Onuphrius. Ego tamen existimo, Vrbs Templi; siue ecclesias olim dici solitas, Titulos: quibus qui præerant Presbyteri animarum curam habentes, & Sacramenta ministrantes, dicebantur sic: Laurent. Presbyter Tituli S. Marcelli. Steph. Presbyter Tituli S. Marci: postea vocari cœperunt, Presbyteri Cardinales, hoc est, principales, vt à cæteris aliorum Titulorum, siue in Vrbe, siue extra Urbem eorum distinguerentur, & nominabantur sic: Laurent. Presbyter Cardinalis Tit. S. Marcelli: Stephanus Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci.

Diaconorum vero veteres Diaconie fuerunt 18. quamuis putem primum fuisse 14. Onuphrius in *libello de septem Eccles. Vrbis, c. 3.* ait, Diac. vsque ad annum millesimum non excessisse numerum septenarium, & cum

Vrbis, vt ait ille, 14. regiones fuerint, singuli in duabus regionibus seruibant: postea iuxta 14. regiones, 14. Diac. creabantur, vt singuli singulis regionibus præferti essent. Sed aliquando etiam Diacono. numerus fuit 18. qui numerus per aliquot annos continuatus est, postea auctus per Paul. III. qui anno 1545. vsque ad 19. Diaconos, Cardinales auxit: & per Pium IV. productus est vsque ad 25. Demum Sixtus V. eos ad 14. restituit iuxta veterem regionum Vrbis numerum.

Porro Diaconie quamuis essent ædes sacræ in honorem, & memoriam Sanctorum dicatæ, tamen Tituli non dicebantur, quia Diac. qui eorum custodes, siue præferti erant, qui in domibus, iuxta ea Templi habitabant, animarum curam non habebant, nec Sacramenta conferebant, sed demandata sibi munia in sua regione faciebant, & Pontificis Rom. sacris operanti præsto aderant: ecclesiæ thesauros custodiebant, pecunias plebi inopia laboranti, iuxta præscriptas sibi rationes in suis regionibus dabant. Antiquitus nominabantur sic: Petrus Diaco. primæ regionis: Ioannes Diac. sextæ, vel decimæ regionis: postea dici cœperunt: Petrus Diac. Cardin. S. Adriani: Ioannes Diac. Card. S. Eustach. Dicitur Diac. Card. vt à cæteris Diac. qui erant in alijs ecclesijs, & ciuitatibus discernentur.

Adeo erant Diaconie à Titulis distinctæ, vt nulla ratione, aut Presbyter Card. Diaconiam, aut Diac. Card. Titulum haberet. Quando accidebat, vt Diac. Card. Presbyter. fieret: is relicta Diaconia sua Titulum accipiebat. Hunc ordinem primus mutauit Sixt. IV. teste Onuphrio: & ita eum posteri Pont. secuti sunt. At Sixt. V. sicut numerum Diac. Card. certum constituit, ita etiam decreuit, ne Presbytero Diaconia, aut Diacono Titulus in posterum daretur.

At Card. numerus Rom. Pont. arbitrio, augeri, minuiue solet, aut certe potest, cum res ita postulauerit. Et quamuis aliqui contendant, eos tot esse oportere, quot fuerit Apostoli, & Discipuli Dominum, aut saltem quot Discipuli fuerunt; Alij vero, non plures creati debere, quam eorum hæcenus scripti Tituli, vel Diaconie inueniuntur: In Concil. tamen Basiliensi, *sess. 23.* statutum est, ne plures Cardinales crearentur quam viginti quatuor. Certe si viginti quatuor tantum Cardinales eligerentur, referent illos viginti quatuor seniores de quib. B. Ioan. *Apost. 4.* sed. n. frequentiori Doctorum sententia receptum est, totum hoc ex libera Romani Pontificis voluntate pendere. ita *Franchus, in c. vbi periculum, de elect. in 6. Martinus Laudem. Tract. de Card. p. 2. q. 2. Albericus in Rub. de statu hom. Card. Albanus de Card. q. 41.* Et licet maxima sit negociorum moles, ac multitudo, & populorum frequentia, quibus Rom. Pont. præest, recte nihilominus tamen is Christianæ reipublicæ consulturus creditur, si nunquam maiorem numerum Card. habeat, duobus & septuaginta, qui fuit numerus discipulorum Domini. *Archid. c. vbi periculum de elect. in 6. Card. Clem. de Romani. §. porro de elect. Alber. in Rub. C. de Sum. Trin. Barbat. in tract. de Card. q. 1. n. §. Manfre. de Card. c. 3.*

Nec certam habet auctoritatem, quod quidam prodiderunt, Pontiani tempore Card. ducentos triginta sex extitisse.

Tituli antiqui fuerunt viginti octo, uti diximus: qui videlicet sequuntur.

- 1 S. Crucis in Hierusalem.
- 2 SS. Marcellini & Petri.
- 3 SS. Quatuor Coronatorum.
- 4 SS. Ioannis & Pauli.
- 5 S. Anastasie.
- 6 S. Sabine.
- 7 S. Stephani in Monte Cælio.

- 8 S. Clementis.
- 9 SS. Nerei & Achillei.
- 10 S. Susannæ.
- 11 S. Pudencianæ.
- 12 S. Petri ad Vincula.
- 13 S. Martini in Montibus.
- 14 S. Sixti.
- 15 S. Eusebii.
- 16 S. Priscæ.
- 17 S. Vitalis.
- 18 S. Marci.
- 19 S. Marcelli.
- 20 S. Laurentij in Lucina.
- 21 Basilicæ Duodecim SS. Apostolorum.
- 22 S. Laurentij in Damaso.
- 23 Balbinæ.
- 24 S. Cæcilie.
- 25 S. Chryfogoni.
- 26 S. Prædix.
- 27 S. Mariæ Trans Tiberim.
- 28 S. Ciriaci in Thermis.

Tituli recentes à Summis Pontificibus additi.

- 1 SS. Quirici & Iulite.
- 2 S. Ioannis ante Portam Latinam.
- 3 S. Agnetis in Agone.
- 4 S. Laurentij in Panisperna.
- 5 S. Thomæ in Parione.
- 6 S. Siluestri in Campo Martio.
- 7 S. Pancratij.
- 8 S. Bartholomæi in Insula.
- 9 S. Matthæi in Merulana.
- 10 S. Mariæ de Arca cæli.
- 11 S. Mariæ in Via.
- 12 S. Mariæ super Mineruam.
- 13 S. Mariæ Angelorum in Thermis.
- 14 S. Hieronymi Illyricorum.
- 15 S. Apollinaris.

Tituli recentiores à Sixto V. veteribus adiecti.

- 1 S. Onuphrij in Ianiculo.
- 2 S. Augustini.
- 3 S. Mariæ de Populo.
- 4 S. Alexij in Auentino.
- 5 S. Blasij de Annulo.
- 6 S. Mariæ de Pace.
- 7 S. Saluatoris de Lauro.
- 8 S. Petri in Monte Aureo.
- 9 S. Trinitatis in Monte Pinciano.
- 10 S. Mariæ Transpontinæ.

Diaconia sunt quatuordecim, totidem Urbis Regionibus respondententes.

- 1 S. Mariæ in Aquiro.
- 2 S. Mariæ in Cosmedin.
- 3 SS. Cosmæ & Damiani.
- 4 S. Mariæ Nouæ.
- 5 S. Adriani.
- 6 S. Mariæ in Via Lata.
- 7 S. Mariæ in Porticu.
- 8 S. Angeli in Foro piscario.
- 9 S. Nicolai in Carcere.
- 10 S. Mariæ in Dominica.
- 11 S. Eustachij.
- 12 SS. Viti & Modesti.
- 13 S. Agathæ.
- 14 S. Gregorij ad Velabrum.

Ex Titulis veteribus vnus non extat, videlicet S. Ciriaci in Thermis: vnde Tituli veteres sunt viginti septem, qui cum recentioribus quatuordecim, & cum alijs recen-

toribus à Sixto V. adiectis efficiunt Vnum & quinquaginta.

Diaconia veteres quatuor sublatae sunt, videlicet, SS. Sergij & Bacchi, S. Lucie in Circo, iuxta Septisolum S. Theodori, S. Lucie in Scilice, alias capite Subura, alias in Orphea.

Tempore Gelasij II. qui fuit electus anno 1118. Presbyteri Cardinales vivebant viginti octo, quorum Tituli erant viginti octo antiqui, quos supra enumeravi. Diaconi Cardinales erant decem & octo, quos superius commemoravi.

Episcopi Card. vivebant sex; Sabinus, Ostiensis, Tusculanus, Portuensis, Prænestinus, Albanus.

Septimo quaeritur, Cuiusnam sit Card. eligere & creare: Respondeo, solius Rom. Pont. *Ioan. Andr. & Abbas in c. sane, de conuersione coniugat.* ita vt nec ipsum etiam Card. Collegium, cum est Eccles. Rom. suo Pontifice viduata, vllum Cardinalem possit eligere, *Gloss. in Clem. ne Roman. verbo potestatis, de elect. Alex. in c. nullus, d. 79.* Obijctes, Card. Collegium ius habere eligendi Rom. Pont. ego & Card. creandi? Respondeo, non sequi, vt si vnum ius habeat, & alterum quoque habeat: quia sibi Roman. Pontifex, Cardinalium creationem releuauit. Quæres, An saltem Generale Concilium Card. possit eligere? Respondent aliqui, cum necessitas postulat posse Generale Concilium vnum, aut alterum Cardin. creare: *sic Iacobus trad. de Concl. lib. 6. à 7. q. 1. & Mansfr. trad. de Card. d. 386.* Ego tamen nunquam legi, vllus esse creatos Card. à Concil. Generali: nimirum creatio Card. Pontificis Summi est. Quæres itidem, An Romanus Pontifex extra Card. assensum, & Concilium Cardinales creare queat? Resp. non esse dubitandum, quin id facere absolute possit. *Io. Andr. in c. sane, de conuersione coniug. Fel. & Dec. in Rab. de constitut. de more tamen id nequaquam ab eo fieri solet, quia Cardinalis creatio magni ponderis est; ardua vero negotia non solet Pontifex absq; Card. consilio expedire. Zabarel. in repetit. super c. perpendimus, de sent. excom. Ioan. Monach. in c. super eo de heret. in 6.*

Octauo quaeritur, An Card. dicantur dignitatem habere iure communi, an vero solum simplex munus & officium? Sunt qui putent, Card. nomen, sicut non est nomen Ordinis à cæteris Ecclesiasticis Ordinibus distincti, sic non esse iure communi dignitatis nomen, sed tantum muneris, & officij, vt scilicet Pontif. Rom. suo consilio, opera, studio, & industria iuuent. *sc. Bald. Fel. Mar. Laud. Andr. Siculus, ut refert Card. Alban. de Card. q. 6.* Verum quidquid illi dicant, de iure communi dubitandum non est, esse nomen dignitatis, vel iure, vel consuetudine. Nam Card. cæteris honore & dignitate præstant. Deinde ius habent, & potestatem Rom. Pont. eligendi: quod est honoris & dignitatis: Item iurisdictionem Episcopalem habent in Ecclesijs, quibus præfunt. *c. His, qui, de Maioribus. & Obed.* Ad extremum, ille dignitatem habere creditur, qui in Ecclesia honoris aliqua prerogatiua gaudet, & penes quem est aliquod ius, & potestas: sed Card. multis prerogatiuis potiuntur, ius itidem & potestatem in multis causis & rebus, maximi ponderis & momenti habent; ergo merito dignitatem tenere censentur. hanc sententiam multis rationibus confirmat Card. Albanus q. 6. de Cardinalibus.

Nono quaeritur, An Card. dignitas sit maior quam Episcoporum? Non hic in quaestionem vertitur, An Card. cæteris Ecclesiarum Præfibus honoris dignitate præstant, more & consuetudine Curie, & Eccl. Roman. hoc enim certo constat; sed, an iure ipso communi antecellant: Profecto certi iuris est, Episcopum potestate Ordinis esse Presbytero Cardin. maiorem: item, Presbyterum eadem potestate esse Diacono Cardinali superiore: quoniam Episcopus in sacramentis multa potest, quæ Presbyter Card. non potest: & Presbyter potest sacrosanctum Christi corpus consecrare, rem diuinam facere, & offerre pro viujs & defunctis, & alia sacramenta ministrare, que non

non potest Diaconus Cardinalis. Ceterum etiam est administratio auctoritate & dignitate honoris, Card. Episcopis longe præstare: nam Cardinal. est Roman. Pont. eligere, et à consilijs esse, ardua vna cum eo totius Ecclesie negotia tractare & agere: præterea Cardinales Romanus Pontifex fratres appellat, quorum consilio dicit se hoc, aut illud decernere: Cardinales item in publicis comitijs & conuentibus, in publicis supplicationibus, & alijs quibuslibet rebus primi à Romano Pontifice sedent, primi suffragium & sententiam ferunt, subscribunt, stant, incedunt: denique sicut Episcopi sua habent Canonicorum Collegia, sic etiam in ipsa Rom. Ecclesia, utquam Pontificiorum quorundam Canonicorum Collegium est, purpuratus & sacer. Cardinalium conuentus: qui vna cum ipso Pontifice vnum veluti corpus efficit, cuius caput est Papa, & membra sunt ipsi Cardinales.

Quare quemadmodum Presbyter, Ordinis potestate est Archidiacono superior, iurisdictione tamen, administratione, & honoris dignitate solet esse inferior, & Presbyter, qui est Episcopus electus & confirmatus, nondum tamen consecratus est Presbytero iurisdictione superior, quamvis Ordinis potestate par: ita etiam Cardinalis est Episcopo administratione superior, sed inferior Ordinis potestate, extat apud Iacobatum, vt dixi superioribus. Epistola Eugenij IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, ubi in multis rationibus concludit, Cardinalem honoris dignitate esse episcopo, Archiepiscopo, & Patriarcha superiore, nam Siluester constituit, vt sine plurimis testium sententijs Cardinalis damnari non possit: quod nullum Episcoporum Archiepiscoporum, Patriarcharum habere legitimus. Apostoli Christo assidebant, qui similitudinem referebant Cardinalium Pontifici assistantium. Com tamen Episcopi significati sint in Apostolis per totum terrarum orbem ad Euangelium promulgandum missis. Papa Cardinales appellat sui corporis partem cum è curia Romana Cardinalis mittitur, dicitur Legatus à Latere Apostolico destinari: & in provincia ad quam est missus, cæteris antecellit. Qui in Cardinalem manus violentas infert, vel consilium, aut fauorem ad id præstat, reus læsæ maiestatis habetur, & grauissimis poenis coercetur: quibus non punitur, qui reliquos Ecclesiarum Antistites offendit. Constantinus ait: *Volumus deinde Romana Ecclesia Clericos reuerentissimos singulos habere illud sanctum culmen potentia & excellentia, cuius sanctissimi nostri Senatûs gloria adornantur Consules, id est, Patrios fieri.* Ceteri iridem Ecclesie Palati certis Ecclesijs præstant, at Cardinales communi totius Ecclesie saluti consulunt & student: reliqui certas Ecclesias regunt, Cardinales vero vna cum Papa totius Reipublice Christianæ negotia pertractant. Hæc ex illa Epistola.

Dubie tamen quæstionis est, An semper Cardinalis fuerit administratio, & honoris dignitate Episcopo superior: Ioannes Andreas, & Geminianus in e. cum aliquibus, *De rescript. in sexto*, testantur, ante Bonifacij VIII. sæculum multos Episcopos non fuisse in numerum Cardinalium adscriptos, ne Pontificiam dignitatem minuere viderentur. Refert item Onuphrius in *opusculo de Cardinalibus*, ante id tempus ex Episcopis non consecuisse Romanum Pontificem creare Cardinales, quia Episcopi erant Cardinalibus superiores. Apud S. Bernardum quoque extant Epistolæ, quarum in scripto sic habet: *Episcopi & Cardinalibus in Vrbe, aut Curia Romana commorantibus: & cap. consuetus 1. de Appellat.* cum Alexander III. cuidam Cardinali scribat, Epistolæ in scripto talis est: *Gradenſi Patriarcha, & S. Vitalis Presbytero Cardinali.* Ergo eo tempore, inquit, Episcopus ac proinde etiam Patriarcha, siue Archiepiscopus Cardinali præstabat honoris dignitate. Alii tradiderunt, longe ante Bonifacium VIII. Cardinales Episcopis honore præcessisse, vt constat ex ijs verbis Petri Damiani: *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt: & quibusdam alijs*

prærogatiuis non modo quoruscumque Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum iura transcendunt. Saluo quippe vniuersalis Ecclesie sacramento, ipsi sunt oculi vnius lapidis, ipsi lucerna vnius candelabri: Sic ille.

Meo iudicio, ex quo ius & potestas Romanum Pontificem eligendi ad sola Cardinalium suffragia redacta est, ceperunt Cardinales paulatim honores dignitate cæteris, etiam Archiepiscopis & Patriarchis anteponi, at non statim summum honoris gradum obtinuerunt: & ideo Petrus Damiani, qui ante Bonifacij VIII. ætatem floruit, scripsit Cardinales in eligendo Pontifice, & quibusdam prærogatiuis esse Episcopis, & Patriarchis superiores. Id etiam a Ioanne Andrea, Geminiano, & alijs præditum, verum pariter est, Bonifacij tempore episcopos in Cardinales non eligi, ne de Ordinis potestate, & gradu descendere viderentur.

Quæres, an extra Curiam Romanam vim, & locum habeat consuetudo, quæ in Regum, & Principum Comitibus, & Conuentibus quilibet Episcopus, vt suæ Ecclesie Praefectus & Pastor, non vt Cardinalis sederet, & sententiam dicit, videlicet, prout est in Episcopatu antiquior: Respondeo, eam consuetudinem esse approbandam, quoniam videtur expresso, vel tacito Pontificis consensu confirmata. Secus, cum iure ipso non valeret: Reges enim & Principes de Ecclesiasticis personis, aut rebus leges, & iura ferre, & condere non possunt: nemo enim leges nisi in homines sibi subditos potest ferre, quia leges, & statuta ponere est iurisdictionis. *l. nulli, C. de sentent. & inter locut. & Baldus ibi. & Romanus cons. 218. n. 2.* Quæres etiam, An Cardinales iure quoque ipso quatuor Patriarchis, vniuersum Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano honoris dignitate præfiantur? Quidam negant communi iure, sed vsu duntaxat Curie Romanæ præcedere.

Decimo quæritur, An Cardinales in Generalibus Ecclesie Concilijs, atque Conuentibus ius habeant suffragium ferendi, hoc est, definiendi res Fidei & morum, & ius in Decretis Concilij subscribendi? Quidam negant eo vnicò argumento permoti, quod in Concilijs sæpe dicitur, ea esse Episcoporum, Concilii Antioch. c. 20. Laodiceen. ca. Chalcedon. *Act. 15. can. 19.* Tarracon. c. 6. vt habetur, d. 18. c. propter Ecclesiasticos. Et in antiquis Ecclesie Concilijs solos Episcopos definisse, & subscripsisse legimus, non Cardinales, nisi tanquam Romani Pontificis Vicarios, aut Legatos, vel Nuncios. Alij vero sentiunt Cardinales auctoritatem habere definiendi, & subscribendi, non quidem ordinario iure, sed facultate commissa & demandata; Conuenit enim aliquid nobis dupliciter, vel ordinario iure & potestate hoc est, ratione muneris & officij quo fungimur, vel demandata, & commissa potestate sicut presbyter ordinaria auctoritate & iure, corp^o Domini populo ministrat, & Christi Euangelium annunciat: at Diaconus olim commissio, & demandato sibi iure dominici sanguinis poculum plebi ministrabat, ac Dei verbum proponebat. Item Episcopus ordinario iure Clericos creat. Abbates vero Clericorum tonsuram, & quatuor minores Ordines privilegio, consuetudine, & commissio iure conferunt: ad eum quoque inquirunt, modum Episcopi iure suo in Concilij Fidei dogmata definiunt, & in Decretis deinde subscribunt; Cardinales vero definiunt commissa, & demandata, non ordinario iure. Alii contra, Cardinales censent definire, & subscribere non solum demandato, sed iure ordinario, ita docet Turrecrem. in *sum. libro tertio, capit. decimoquarto. ad sextum.* & hoc mihi verum esse videtur, nam ius in Concilijs definiendi, & subscribendi, non est potestatis Ordinis, sed iurisdictionis ergo non solum est Episcoporum. Legimus enim etiam in antiquis Concilijs non solum episcopos definisse, sed etiam Monachorum Abbates, item Generales Religiosorum Ordinum Prepositi in Concilijs definiunt, & subscribunt. Et in Synodo Romana II. sub Symmacho subscriperunt episcopi, & postea

Presbyteri, & tertio loco Diaconus Ecclesie Romanæ in hunc modum: *Cælius Rusticus Episcopus Menturvensis subscripsit, & consensu Synodalibus constituitis, atque in hac me profiteor manere sententia.* Deinde, *Cælius Laurentius Archiepiscopus Tituli S. Praxedis huius subscripsit, & consensu Synodalibus constituitis, atque in hac me profiteor sententia manere.* Deinde subscriptio Diaconatus: *Cyprianus Diaconus S. R. E. regionis septima, huius subscripsit, & consensu Synodalibus constituitis, atque in hac me profiteor manere sententia.*

Cardinalium igitur est in Concilio definire, & subscribere non solum commisso & mandato sibi, sed etiam ordinario iure, id est, ratione dignitatis in qua sunt constituti. Nam quamvis Presbyteri, aut Diaconi tantummodo sint, iurisdictionem tamen, & administrationem habent.

CAP. II.

De potestate, quam habent Cardinales in Romano Pontifice eligendo.

Primo quaeritur, An Cardinalium sit, Rom. Pont. eligere? Ceteri iuris est penes eos esse potestatem eligendi Rom. Pont. ut constat ex *Alex. III. c. licet, de elect. & Greg. X. in Conc. Generali Lug. c. ubi periculum, de elect. in 6. & Cle. V. in Conc. Vienn. Clem. I. Ne Romani, de elect. Ex Nicolao I. ut habeat in c. In nomine d. 23.*

Porro formula eligendi Pontificem, fere traditur in c. *Ubi periculum, ubi præcipue leges, quæ in eo eligendo feruari debent, sequentes continentur.* Prima est, ut ad Rom. Pont. eligendum Comititia habeantur in loco idoneo, ubi Pontifex cum sua Curia residens, causarumque & litterarum Apostolicarum audientiam habens, mortuus fuerit; quod si in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commode ibidem comitia haberi nequiverint, in vrbe, in cuius diocesi, villa, pagus, vel oppidum fuerit, habeantur, nisi factis interdicta sit, qua causa in viciniore vrbe non interdicta, ipsa electio fieri debet. Si vero ipsa audientia in alio loco fuerit, tunc non ubi Pontifex decesserit, sed ubi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio fiat. Secunda lex seruanda in electione Pontificis hæc est: ut mortuo Pontifice comitia non habeantur, nisi decem dierum, ut minimum, spatio interiecto, quo tempore & Card. absentes expectari, & nouendiales exequie demortui Pontificis per Card. præsentibus celebrari debent. Tertia: ut Card. omnes quauis ratione à Conclauis absentes, nullum ferendorum suffragiorum ius habere possint. Quarta, ut non solum Card. absentes, sed & omnes cuiusuis ordinis, & conditionis homines in Rom. Pont. creati queant. Quinta lex: ut finitis nouendialibus, factisque die decimo tunc sancto spiritui factis omnes Card. qui adsunt, siue absentes adueniant, siue secus, in Palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto vndique concluso, & optime custodito, quod Conclauis vocant recludantur, cum duob. tantum famulis, qui eis necessaria subministrant: quo in loco comitia habeantur: nec alicui præterea fas sit locum ingredi, vel egredi, nisi infirmitatis causa, certisque quibusdam hominibus, quorum opera in Conclauis existentibus maxime est necessaria. Is porro locus Conclauis nullum intermedium parietem habeat, sed omnes Card. in cellis suis lanceis distinctis pannis ipsi incolant in commune. Sexta lex: ut locus, & portæ Conclauis diligentissime custodiantur. Si Romæ electio habeatur, primum à Prætorianis militibus, deinde à Regulis Romanis, & Oratoribus Principum prius Sacramento deuotis: demum in loco, qui ostio Conclauis viciniore fuerit, ab Episcopis, & Conseruatoribus Vrbsis.

Si autem extra Vrbsis Comititia hæc habeantur, à loci eiusdem dominis temporalibus eodem fidelitatis iure iurando obligatis, quorum munus est Conclauis custodire, & diligenter cauere, ne quid in Conclauis infera-

tur exportetur, quominus legitima suffragia ferri possint. Eorum quoque est singula scrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei causa inferuntur ad eos, & curare, ne quid detrimenti Cardinales patiantur, omnibusque ipsorum numeribus præsto esse; & eos forte Pontificis electionem differentes, ad eam maturandam adigere. Milites vero Prætoriani, ac Reguli Romani, Conclauis ab impetu, & violentia tutum reddere debent. Septima lex Pontificis electionis faciendæ est; ut Cardinales à Conclauis egredi nulla ratione possint, nisi Romano Pontifice iam electo & creato, quod si re infecta exierint, ab his qui Conclauis custodiam præstant, iterum ingredi cogi debent. Octaua, ut Cardinalibus venientibus, post ingressum in Conclauis & ante Pontificis creationem, potestas sit in Conclauis ingrediendi, & cum cæteris suffragia ferendi, nullisque Cardinalis quauis occasione, aut prætextu, etiam vinculo excommunicationis adstrictus, ab electione ipsa arceat. Nona lex: ut post triduum ab ingressu in Conclauis, nisi Pontifex renunciatus fuerit, Episcopi, Reguli Romani, & qui Conclauis custodiam præstant, maxime in epulis, & cibis, qui ad Cardinales inferuntur, rationem habeant, & ad eos non nisi ferculum vnum inferri permittant. Decima, ut in Comititijs habendis, pœna anathematis constituta, nulli fas sit, aut largitione vti, aut quicquam polliceri, aut accipere ambiendo, aut animos Cardinalium sibi in noua creatione obstringere quo interim tempore Cardinalibus nulli alij negotio vacandi, ius potestatisque sit, quo electio maturetur. Vnde decima, ut nemo Romanus Pontifex, nisi duarum partium ex tribus Cardinalium in conclauis præsentibus, integris suffragijs fuerit electus. Duodecima lex, ut mortuo Romano Pontifice, statim omnes Ecclesiastici magistratus cessent, & à suis muneribus vacent, præter Pœnitentiarium Maiorem, & Minorem, & camerarium sanctæ Romanæ Ecclesie (Camerarium vocant) quorum munera etiam post obitum Pontificis perdurant. Hæc ex constitutione Gregorii X. cap. ubi periculum de electione in sexto, & partim ex Alexandro III. cap. *Li. et, de elect. in sexto, & Clemente Quinto, Clementin. Ne Romani, de elect. iuxta cuius constitutionis præscriptum primum creatus est Pontifex Innocentius V. Aretij, ubi Gregorius X. obierat, & eo mortuo, Adrianus V. Romæ & postea Viterbij Ioannes XXI.*

Porro conclauis instituendæ causa ea fuit, ne in longum protraheretur electio Pontificis, sicut accidit in electione Gregorii X.

Secundo quaeritur, An ius eligendi Romanum Pontificem semper penes solos cardinales fuerit? Respondetur: olim electionem Pontificis fieri solitam à clero, & quodammodo, ut quaestione proxime sequenti explicabo, à Populo: qui mos per mille, & eo amplius, annos in Ecclesia durauit, ut quidam probant ex cap. *In nomine, dist. 23.* quod fuit Decretum Nicolai II. Pontifex itaque olim eligebatur à Clero, & Populo, vel eligebatur potius à clero, nominabatur & postulabatur à Populo, ut dicam quaest. sequenti. Deinde ab Episcopo Hostiensis consecratur: & per aliquot sæcula electio Romani Pontificis facta à clero, Populo petente, & nominante, quem vellet Pontificem, Imperatoris assensu approbatur, quod ius sibi usurparunt. & contra Canones habuerunt Imperatores à Iustiniani tempore, & postea ademptum eis fuit. Deinde vero, ut quidam scripserunt, quod falsum esse quaestione proxime sequenti tractabo, Adrianus I. iterum concessit Carolo Francorum Regi, nondum totius Occidentis Imperatori creato. cap. *Adrianus, dist. 63.* Sed hoc iure cessit deinde Ludouico Imperatori, ca. *Ego Ludouicus, & cap. Sacrorum eadem distinctione*, quod postea priuilegium Leo VIII. Ottoni I. Germanorum Regi contulit, c. *in Synodo, distinct. citata*, ita Romanorum Pontificum concessit, siue permissi, varie Romani Imperatores hoc Priuilegium vtebantur, de quo dicam quaest. one sequenti.

Porro tota hæc res sic se habuit: Germanis Italia omni Narsetis Patricij opera pulsus, & ea cum Vrbe Roma, Ori-

entalis imperij parte facta sub Iustiano Imperatore, notus quidam in Pontificij Comitij mos inoleuit, vt mortuo Pontifice Romano, noua quidem electio more veteris Maiorum statim à Clero populoque Romano fieret; verum electus Pontifex non ante consecrari, & ordinari ab episcopis posset, quam eius electio ab Imperatore Constantiopolitano confirmaretur: ispeque litteris suis parentibus facultatem Romano Pontifici concederet, vt ordinari & consecrari posset: atque ita iurisdictionem Pontificiam tum obtineret: cuius facultatis habendæ causa necesse erat, vt electus certam pecunie quantitatem Imperatori transmitteret. Qua obtenta facultate ipse postea consecratur, & Romanam ecclesiam administrabat: antea enim, idem dies Comitiorum erat, qui consecrationis Pontificis.

Hoc autem, ideo Iustinianum Imperatorem, sua auctoritate sibi usurpasse contra ius credendum est, vt Imperator certior fieret, de noui Pontificis creatione, cuius tunc maxima erat auctoritas, Imperatoribus præsertim ab Italia absentibus, ne aliquo Pontifice, minus grato Imperatori ordinato, Vrbs, & Italia eo auctore ab Orientali Imperio deficeret, & se finitimis Barbaris traderet: quod Siluerium Pontificem aliquando tentasse, sibi falso persuaserat Imperator.

Qua ratione sebat, vt in nouis Comitij is potissimum Romanus Pontifex crearetur, qui Imperatori, quo confirmandus erat: amicus, aut gratus esse crederetur, & de quo ille consideret nihil in Italia moliturum.

Gregorius in Psalmo penitentiali quinto, exponens eum versiculum: *Tota die exprobrabant mihi inimici mei.* cum de Simonis Magi hæresi disputaret, conuenitur de illo onere imposito, per Simoniacam prauitatem. *Hæc est, inquam, hæresis, qua ipsa nascentis Ecclesie rudimenta tenuit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris uisum licet ex tunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine potissimum pullulauit. Nostris vero temporibus malitia sua uirtus exaruit, & totius Ecclesie pacem schismatica insistentione turbauit. Concitauit enim aduersus Ecclesiam Dei, non solum innumerabilem populi multitudinem, uerum etiam regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio fuit, ut inter Reges habeatur, qui destruit potius, quam reget imperium. Et quot curque habere potest, perierit status sua socios, eos à consorcio Christi efficit alienos: qui turpissimi lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit euacuare. Ecclesiam quippe, quam sui sanguinis pretio redemptam, Saluator noster uoluit esse liberam, hæc iste potestatis Regia iura transcendens, facere conatur ancillam: Quam melius foret sibi, dominam suam esse agnosceret: Et postea subiungit: In captum autem sua temeritatem extendit uersania, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendiderit, & in dominam gentium terrena potestatis usurperet. Sic ille. Ideo Paulus Diaconus in uita Mauricij scribit, Pelagium Romanæ ecclesie Pontificem, absque iussu Principis ordinatum esse, eo quod Longobardi, per circuitum obfederant, ne posset quicquam à Roma progredi. Et Aimonius lib. 2. *De gestis Francorum*, c. 16. Siluerius, inquit, eleuatus est, à tyranno Theodorico, qui apud Gothos Regnum obtinuerat, sine deliberatione decreti Imperialis, & lib. 3. c. 74. cum ageret, de electione Gregorij, ait: Non enim licebat tunc temporis ad Pontificatum promoueri, absque iussione Principis Constantiopolitani. Quidam existimant Iustinianum I. Imperatorem hoc onus remississe nam de eo sic scribit Beda, in li. *De sex aetatibus Mundi*, anno 465. Constantium Papam, ad se uenire iubens, honorifice suscepit, ac remisit, ita ut eum die Dominico Missas sibi facere præcipiens, communionem de eius manu accepit: quem profectus in terra, pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta Ecclesia priuilegia renouauit. Alij tamen probabilius putant, Donum statim, vt est creatus Pontifex Romanus, litteras ad Imperatorem Constantinum V. Pogonatum de more mississe, quibus inter cætera illud postulauit, vt certa illa pecunie summa remitteretur, quæ pro Pontificis creatio-*

ne datur: idque ab eo ferunt Pontificem impetrasse. Perdurauit hæc consuetudo usque ad Benedictum II. cuius sanctitate permotus Constantinus ille Pogonatus Imperator Heraclij pronepos, edicto suo, & Epistola ad Clerum, Populum, & exercitum Romanum missa imperauit, vt deinceps quem Clerus, ac Populus Romanus Pontificem delegissent, is nulla amplius Imperatoris confirmatione expectata, more antiquo, statim ab episcopis consecraretur. Rursus Adrianus I. iuxta aliquorum sententiam, vt dixi superius, hoc ius Imperatori Carolo Magno, Francorum Regi concessit, & eius successoribus Regibus Francorum. *e. Adrianus, dist. 63.* Deinde id Iuris Ludouicus Pius, Francorum Rex, & Imperator, vt dicitur *e. Ego Ludouicus, & c. Sacrorum, eadem dist.* sua sponte dimisit, ac ceteri eius successores in Imperio retinuerunt, donec illis eripuit Adrianus III. qui adeo fuit magnanimus, vt non dubitauerit se Imperatorum potentie opponere. Anno 884. creatus est Pontifex, & decretum edidit, ne in creando Pontifice, aut consecrando, Imperatoris auctoritas, aut assensus requireretur, aut expectaretur. Quod quidem antea Nicolaus I. tentauerat, sed non inchoauit. Conquesti de hac re sunt Imperatores, & alij Principes, sed Adrianus suo iure usus est in huiusmodi decreto condendo: ademit Imperatoribus quod necessitate cogente antea sui præcessores permiserant. Postea Leo VIII. Othoni I. Germanorum Regi, & Romanorum Imperatori restituit, *ca. in Synodo, dist. 63.* Id postremo Gregorius VII. Henrico IV. adeptum, Cardinalibus, Clero, & Populo Romano primum permisit, deinde alij Pontifices qui secuti sunt, Cardinalibus tantum concessere, & ita illud Alexander III. suo decreto confirmauit. Sed longe ante Nicolaus II. Concilio Lateranensi coacto, quod habetur in c. *In nomine, dist. 23.* de Pontifice eligendo, sic lege decreuerat: *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de Pontificis electione consultant: mox Clericos Cardinales adhibeant. Et sic reliquus Clerus, & populus ad consensum nouæ electionis accedat, conuertes ne uenalis morbus aliqua occasione subrepat. Eligatur autem de ipsius Ecclesie gremio si reperitur idoneus, sin minus, ex alia sumatur, saluo debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui in presentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente speratur. Quod si prauorum hominum, ita peruersus inualuerit, ut pura, sincera, & gratiosa fieri in Vrbe non possit electio: Cardinales Episcopi, cum Religiosis, Clericis, & Catholicis Laicis licet paucis, obtineant ius potestatis eligendi Pontificem, ubi cõgruerit. Postquam autem electio fuerit facta, si bellica sis tempestas, uel qualscunque hominum conatus malignitatis studio resisterit, ut is qui electus est, in Apostolica Sede iuxta consuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen sicut uerus Papa: obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & dispensandi omnes facultates illius: quod B. Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognouimus. Hæc ibi. Ex quibus apparet, etiam eo tempore ius eligendi Pontificem, ad Clerum, & Populum Romanum quadam ex parte pertinuisse: nam Cardinales episcopi, Presbyteri, & Diaconi eligebant, & ipse Clerus, & Populus comprobabat, hoc est, suum præstabat assensum. At uero Alexandri III. tempore tota electio erat ad Cardinales redacta.*

Tertio quaeritur Quomodo Imperator Romanorum ius aliquod habuerit, in electione Romani Pontificis? Multi hæcenus tradiderunt à tempore etiam si Papæ, hoc nomine Primi, in electione Romani Pontificis interponi cepisse auctoritatem Imperatoris, & primum quidem Schismatis tollendi causa, ad sedandos tumultus, & contentiones dirimendas, ut à Valentiniano composita est, inter Damasum, & Ursinum; ab Honorio inter Bonifacium, & Eulalium. Nam rescripto ipsius Valentiniani, Damasii electio confirmata est; iussu quoque Honorio Imperator, Eulalium Vrbe pelli, & Bonifacium in Pontificem confirmari, conuocata Romæ Synodo 252. episcoporum. Et à Theodorico Rege inter Symmachum, & Laurætium: Ambo enim isti Rauennam profecti

iudicio Theodorici Regis alioqui Arriani, se subiecerunt: Simmachus declaratus est Pontifex, eo quod primo, & à pluribus esset electus. Deinde etiam extra schismata, ne forte tumultus contingeret. Immo eo res paulatim deuenit, ut sine Imperatoris assensu consecrationem suscipere Rom. Pontif. electi non auderent. Durauit hic mos, ut dixi quæstione superiori, à tempore Iustiniani Imperatoris usque ad Constantinum huius nominis V. qui Benedicti II. sanctitate permotus, permisit liberam, ut antea, potestatem Clero Romano designandi, & eligendi Pontificem, postea Adrianus Papa conuocata Synodo Lateranensi, Episcoporum mille 153. Quod antea nulli Imperatorum concessum fuerat, etiam eligendi Pontificis ius, ob pulsos Italia Longobardos, Carolo Magno concessit, ut habetur in cap. *Adrianus* dist. 63. At huic iuri paulo post filius eius Ludouicus Imperator renunciauit: ut dicitur in cap. *Ludouicus*, eadem distinctione. Vnde libera fuit Pontificis electio, & consecratio ad longum tempus, videlicet usque ad Leonem VIII. & Othonem I. Imperatorem: cui ipse Leo iterum concessit ius eligendi Pontificis ut referuntur in cap. *In Synodo*, in præfata distinctione. 63. Hoc priuilegio vsi sunt, Imperatores, qui Othoni I. successerunt, usque ad Henricum IV. Iustissimis de causis hoc ius Imperatoribus abrogauit Gregorius VII. occasione sumpta ab schismate inter Benedictum, Syluestrum, & Ioannem sub Henrico II. Imperatore. Vnde Stephanus IX. Nicolaus II. & Alexander II. sine vilo assensu Imperatoris creati, & consecrati sunt, quod cum iterum subreptitie per insidias, & fraudem impetrasset à Paschali II. Henricus V. ipse Paschalis denuo reuocauit, Congregata Synodo Lateranensi. Postremo ad solos Cardinales ius eligendi Pontificis delatum est; ut constat ex decreto Nicolai II. quod habetur in cap. *In nomine*, dist. 23. Sic res gesta est. Profecto Imperator nullam ius habuit, nec habere potest in electione Pontificis. c. *Nullus laicorum*, dist. 63. quia est causa spiritalis, & Ecclesiastica, in qua Imperator potestatem non habet: nec eam consuetudine quamuis longissima, nec vlla præscriptione sibi potest acquirere, cum laicus capax iuris Ecclesiastici non sit: quare auctoritatem in electione, vel consecratione Pontificis, contra Canones, & Ius diuini sibi Imperatores vsurparunt aliquando prætextu inani, & falso. Nec est, quod obijciatur, quod olim factum est ab Imperatoribus: nam id factum est contra Canones, & Iura. Damasus, Bonifacius, & Symmachus sese submiserunt Valentiniano, Honorio, Theodorico Regi, necessitate compulsi, grauioris mali deuitandi gratia, nimirum, ut seditiosorum hominum tumultus, & violentia, Imperatorum auctoritate reprimerentur. Iustinianus itidem sibi vsurpauit ius, quo voluit, ne Rom. Pontif. electus absque ipsius Imperatoris assensu consecraretur: quod postea successores eius imitati sunt. Id vero quod habetur in c. *Adrianus*, dist. 63. quidam putant esse falsum, & Gratianum id accepisse ex Siegberto in Chronico anno 773. vbi dicit sic: *Adrianus Papa ad tuendam res Ecclesie, Carolum Romanum accessit: qui pergens Papiam ob sedis: ibique relicto exercitu Romanum peruenit: sanctam Resurrectionem ibi peregit: postea rediens Papiam cepit, iterumque Romanam rediit: Synodum constituit cum Adriano Papa, aliisque 153. religiosis Episcopis, & Abbatibus, in qua Adrianus Papa, cum vniuersa Synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem. Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Prouincias ab eo, inuestituram accipere definiuit, & ut nisi à Rege laudetur, & inuestituram Episcopos, à nemine consecraretur, omnesq; rebelles huic Decreto anathematizauit: & nisi resipiscerent, bonis eorum publicari constituit: Sic ille.*

Certe mihi in hac re Siegbertus suspectus est: nam ipse solus ita narrauit, non scriptores alij illorum temporum, & illum secuti sunt Gratianus, & post Gratianum omnes historici: cū nihil tale scripserit Eginhardus cancellarius Caroli Magni in vita ipsius: nihil Anastasius Bibliothecarius, in vita Adriani Papæ. Deinde, quia Siegbertus, quāuis Monachus, fuit tamē Henrici Imperatoris po-

tius fautor, quam Papæ Gregorij VII. vnde anno quarto sic scribit: *Henricus Rex Romanum vadit, propter scandalum discordiam, qua erat inter Regnum, & Sacerdotium: qua coepit à Papa Gregorio VII. qui & Hildebrandus nominatus est: & exagitata à successore, Victore, & Urbano, & pra omnibus à Paschali magno scandalo erat totum mundo. Rex autem voluit vti auctoritate, consuetudine, & auctoritatibus priuilegijs Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui post de Regibus Francorum imperauit Romanis, iamq; per trecentos, & eo amplius annos imperauerat sub 63. Apostolicis, dabat licite Episcopos, & Abbatibus, & per annulum, & per virgam. Contra hanc Matrem auctoritatem censebant Papa Synodali iudicio non posse, nec debere dari per virgam, vel per annulum Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam inuestituram à laicali manu: & quicunq; ita Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam iuris inuestituram: accipiebant, excommunicabantur. Sic ille. siue sit verum siue falsum, quod scripsit Siegbertus, & refertur in c. *Adrianus*, dist. 63. nihil facit ad probandum, Imperatores aliquando habuisse ius eligendi Pontificem: quia etiam deus, verum esse Siegberti, & Gratiani testimonium, ex eo solum colligitur id habuisse Imperatores non iure suo, sed priuilegio Adriani Pontificis, & aliorum successorum. Item quāuis Siegbertus, & Gratianus dicant, concessisse Adrianum Carolo Magno ius eligendi Pontificem, verbum, *eligendi*, acceperunt late, & ample, non præse, & strictè, videlicet pro eo, quod est electio iam factæ Canonice, & legitime assensum præstare. Eligebat Clerus Pontificem; deinde referebatur electio ad Imperatorem, ut suum præstaret assensum, ut dicit Gratianus, dist. 63. c. *Cum longe*, §. *Electio*, & c. *Vota*, §. *Principibus*. Interest Principis in festum non habere Antistitem: non tamen idcirco electio min⁹ valebat, si Imperator dissentiret: sed poterat sibi consulere, & intercedere, ne electus præstet. Vnde in c. *Cum terra*, de elect. ad finem, dicitur: *Quo facto non prohibemus quā Regis requiratur assensus: sed propter hoc ipsum, electionem nolimus impediri.**

Quarto quæritur, Quomodo Populus Romanus olim in electione Pontificis ius habuerit? Quot quot de vitis Pontificum scripserunt, communiter dixerunt, eos eligi consueuisse à Clero, & Populo Romano. Hoc autem sic intelligitur: Populus nominabat, & designabat quem sibi velle Pontificem dari. Sed non cogebatur iure Clerus eum admittere. in c. *Nosse* dist. 63. dicitur: *Sacerdotium quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est: quia docendus est populus, non sequendus. Et c. Episcopus, eadem dist. dicitur: Episcopus per Æmiliam non consecres, nisi post electionem, vel consensus Cleri, & Populi. Tunc enim, ut ait Gratianus in c. *Cum longe*, ead. dist. §. *Elect.* in Ecclesia Dei recte præficitur Antistes. cum Populus pariter in eum declamauerit, quem Clerus communi voto elegerit: quod probat auctoritate Cælestini Papæ dicentis: *Cleri, Plebisq; consensus requiratur: & testimonio Leonis Papæ: vota Civium, testimonium popularium, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus. Sacerdotium constituuntur. & infra: per pacem & quietem Sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur: zentatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis, Conuentus, & Plebis: erat igitur petitio Populi, electio Clericorum, consecratio Episcoporum: Quando Populus fuerit penitus exclusus ab electione Pontificis, non ita certo constat. Pleriq; dicunt cœpisse excludi statuto Nicolai II. quod habetur in c. *In nomine*, dist. 23. Sed certe postea aliqui Pontifices fuerunt electi à Clero, siue à Clericis Cardinalibus, in quorum electione intercessit quoque Populi assensus, siue petitio, & desiderium, & votum, ut antea.**

Quinto quæritur, An sicutique Cardinales, ita absint, & distent, ut omnino intra decem dies ad Pontificem eligendum conuenire non possint expectari debeant? Glossa in c. *Vbi periculum*, ite citato, ait, esse expectandos, quia vel Pontificis diplomate ius habent, ut expectentur, vel ante Pontificis obitum alia de causa iter facere potuerunt: sed certe probabilior est sententia eorum, qui negant eos esse expectandos, quia in c. *Vbi periculum de Elect.* in c. decet dierum

spatium præfigitur. Sic Card. Alb. de Card. q. 13. præferentiam quando admoniti, & certiores facti venire non possent.

Sed dubie questionis est, An si electio fiat communi Cardinalium omnium præsentium, vel duarum partium eorum consensu, non expectatis intra decem dierum temporibus absentibus, vim & locum habeat? Glossa in eod. Capit. ubi periculum, sentit eam electionem ratam esse, & firmam, quia in eo capite generatim dicitur nihil excipi, aut opponi posse, si Pontifex eligatur suffragiis duarum partium Cardinalium. Item si illi Cardinales præsentis quoque fuissent, & contraxissent, nihilominus ipsis inuitis electio consisteret. Nec diuersum ab his Philippus, & Archidiaconus docuerunt: putant enim hi, ad substantiam electionis solum requiri, ut Pontifex à duabus partibus Cardinalium eligatur, cætera vero ad accidentia electionis attingere, nempe locum, & tempus. Sed alii arbitrantur, quos sequi videtur Cardin. Alban. de Cardinal. questio. 14. irritam esse, & inane electionem, quia cum tempus certum lex aliqua præscribat, ad substantiam spectat; at ius in electione Pontificis decem dierum spatium requirit ad hæc, ut absentes Cardinales expectentur, ergo iis non expectatis, qui tamen commode venire possent, si electio fiat, rata, & licita esse non potest. Mihi utraque sententia probabilis esse videtur: sed quia prior communis est, & in c. V. ubi periculum. vniuersim dicitur nullam exceptionem obijci posse, videlicet iuris scripti, non iuris naturalis aut diuini, quando electio facta est communi præsentium Cardinalium consensu, ipsi subscribo.

Sexto quaeritur, An si Cardinales metu in constantem virum cadente Pontificem eligant, electio consistat, & valeat? De hac questione Cardin. Alban. de Cardin. q. 18. Negant quidam, eo quod electio secundum iura debet esse libera, cum ex consensu procedat. c. Cuius locum, de sponsa. Deinde quia Pontifex statim, ut est electus, iurisdictionem nanciscitur, at nulla est iurisdicção per vim, aut metum tradita. l. 2. ff. de iudic. & Glossa in l. Si mulier. §. si dos. ff. de sponsa. Alii vero affirmant iure ipso subsistere, sed nihilominus esse rescindendam, & hæc est verior sententia, si ius antiquum commune in c. V. ubi periculum, citato spectemus, quoniam si electio duarum partium Cardinalium suffragiis fiat, nihil contra eam excipi, aut opponi potest: at iure nouo edico in Concilio Constantiensi Sess. 29. nulla est electio Romani Pontificis per metum facta. Sic enim ibi sancitum est: Quod si forte electionem Romani Pontificis per metum factam, qui caderet in constantem virum, seu impressionem de cetero fieri contingat, ipsam decernimus nullius efficacie, vel momenti, nec posse per sequentem consensum etiam metu prædicto cessante ratificari, vel approbari.

Qualis autem, & quantum metus sufficiat, ut cadat in virum constantem, & electio irrita fieri possit, aut reuera irrita sit, habenda est ratio circumstantiarum, nimirum personarum, & rerum, loci, & temporis. Quæres, An sit fides habenda Cardinalibus, cum dicunt, se per metum elegerunt Pontificem? Respondet Baldus in c. V. ubi periculum, de elect. in 6. non esse habendam, nisi antea protestati fuerint se per metum ad eum creandum adigi: & in Concilio Constantiensi statutum est, ut Cardinales, cum primum ad locum tutum accedere queant, eorum Notariis publicis, & populo testentur metum, si quis interuenisset. Si quid item aliunde de metu constaret, rescindi posset electio. Præterea statuit ibidem Concilium, non licere Cardinalibus, si per metum Pontificem elegerint, ad aliam electionem procedere, nisi ille, qui est per metum electus, renunciet, vel decedat, donec per Generale Concilium de electione fuerit iudicatum: & si procedant, nulla sit ipso iure electio, sintque secundo eligentes, & electus omni dignitate, & statu etiam Cardinalatus, & Pontificali, ipso iure priuati, & inhabiles de cætero ad eisdem, ac etiam ad Papatum.

Septimo quaeritur, An Cardinales nondum adepti insignia Cardinalitatis, quæ iuxta Romanæ Curie morem

Pontifex dare consuevit, habeant ius suffragium ferendi in creatione Rom. Pontificis? Quidam negant, eo quod suffragium non sit proprietatis, sed possessionis fructus: ergo Cardinalis nondum possessionem assecutus, in Communi suffragium non habet: & proinde Cardinalis dignitatem quidem per electionem adeptus, nondum tamen insignia, ac idcirco possessionem nactus, suffragium habere non potest. Alii tamen affirmant, quia eo ipso, quo est à Rom. Pont. electus, & creatus, omnem potestatem administrandi Ecclesiam nanciscitur: si aliud iuris impedimentum non obstat. Deinde id colligunt à simili: nam Abbas etiam si sacratu non sit, & nomen Abbatis habet, & Ecclesiam administrat, & baculo pastoralis, annulo, mitra, & aliis Pontificiis insignibus, utitur. Sic Cardin. Alban. de Cardin. q. 17.

Octavo quaeritur, An in suffragiis duarum partium Cardinalium numerandum sit ipsius electi Pontificis suffragium, ita ut is seipsum eligere queat? Negat Glossa, in c. V. ubi periculum, de Elect. in sexto. Sic etiam Cardin. Albanus de Cardinali. q. 18. esse numerandum: nemo enim sibi iurisdictionem dare potest, ac propterea inter danem, & accipientem, inter eligentem, & electum debet esse distinctio: secus tamen esset, quando omnes Cardinales, aut eorum tres partes, vel duæ in vnum aliquem Cardinalem compromitterent, ut ipse quem vellet Pontificem eligeret, tunc si ipse seipsum eligeret, locum haberet electio, quia non suo, sed aliorum nomine, & consensu id faceret: idque Ioannes XXII. fecisse perhibetur.

Nono quaeritur, An Cardinalis iuste impeditus, vicem, ac suffragium suum alteri demandare queat? Respondeo, cum Ancharano, & Philippo in c. V. ubi periculum citato, minime, quia non est Cardinalibus id iure concessum. Sic etiam Cardin. Alban. de Cardinalibus, q. 19.

Decimo quaeritur, An si omnes Cardines paciscantur inter se, ut is Pontifex habeatur, qui fuerit à maiori eorum parte electus, electio subsistat? Ratio dubitandi est, quia in c. Licet, de elect. requiritur ad electionem Pontificis duarum partium consensus. Respondeo, eam conuentionem vim, & locum habere, quoniam in c. V. ubi periculum, & c. Licet, non prohibetur, nam electio duarum partium consensus postulat, & huiusmodi conuentio sit communi omnium Cardinalium consensu: ac proinde electio Pontificis à duplici parte Cardinalium facta censetur. Sic Cardin. Alban. de Cardinali. q. 21.

Quæres, An necesse sit, ut omnes Cardinales, in hanc conuentionem consentiant, ut ea locum habeat? Respondeo, necessarium esse, nam vno tantum dissentiente, esset irrita conuentio, in re enim communi potior est conditio prohibentis. l. Sabinus, ff. communi diuidendo, & c. Quia propter de Elect. Archid. in c. Si transitus, dist. 79. & Abbis in c. Constitutus, de Appellat. & Glossa, in c. 2. de elect. in 6. Quæres, An similiter compromissum valeret, si Cardinales compromitterent, ut ab vno eorum Pontifex eligeretur? Respondeo, valere id quidem, sed necesse quoque esset, ut omnes compromitterent: alioqui enim vno dissentiente, nullum esset compromissum. c. Quia propter, de election. Cardinali. Alban. in quest. 21.

Vndecimo quaeritur, Ad quosnam spectaret Pontificis electio, si nullus esset Cardinalium superstes? Hanc questionem tractat Aug. Ancon. in sum. q. 3. art. 2. Hostiensis, in c. Licet, de elect. duas sententias recenset, quarum vna docet ad Clerum Romanum pertinere: altera, ad generale Episcoporum Conuentum. Priorem putat ille magis cum Iure Canonico, & æquitate congruere: tunc quia summus Pontifex est Urbis Episcopus, & Cleri est suus Episcopus eligere: tunc etiam, quia difficile esset totius Christiani orbis Antistes vocare ad Pontificem creandum. idem sensit Panorm. in c. Licet, & Imola in Clem. Ne Romani, de elect. sed Decius tamen, in c. Licet, de elect. magis posteriorem sententiam probauit, & ante eum Augustinus Anconitanus loco citato, eo quod summus Pontifex non solum est Romanæ ciuitatis Præsul, sed totius præterea Ecclesiæ pastor, & caput: ac proinde

ad totam Ecclesiam, ejus electio pertinet: præsertim cū Schismata orientar, si solus Clerus Romanus Pontificem eligeret. Alii quos sequitur Albanus Card. q. 25. distinguunt: aut factura esset difficilis Generalis Concilii Congregatio, aut scelus, si primum ad Clerum pertineret electio: si secū dūm, ad Concilium, & Ludouicus Romanus, & Turcærenata sentiunt, si electio Pontificis à Clero Romano fieret, eam ad Canonicos S. Ioan. Lateranensium pertinere, quia in eorum Ecclesia Pontifex cathedram, & sedem suam habuit, & in ea sui Pontificatus possessionem nanciscitur: Et ut constat ex c. 1. *Et c. cum Ecclesia, de elect.* Canonico est suos Episcopos eligere. Baldus scripsit, Cardinalibus, mortuis jus & potestatem eligendi Pontificem ad Patriarchas attinere. Sed cerè probabilius alii senserunt, id juris, vel penes Clerum Romanum Ecclesiæ Lateranensis, vel penes Concilium Generale residere.

Duodecimò quaeritur, An si Cardinales in eligendo Pontifice, negligentes essent, vel quia in Conclauē ingredi recūsarent, vel ingressi postea discordes exirent, ad redeundum in conclauē compelli possint? Respondeo, compelli posse ab his, quibus conclauis custodia demandata est. *Card. Alb. q. 26.* Sed quid si plures exierint, ad eandem electio Pontificis attinebit, qui manserint? Profecto ad eos pertinebit, siue iustus de causis exierint, puta ob incōmodam valetudinem, vel ob alium iustum, & legitimum impedimentum, siue iniustus, ac minus idoneus, ut quia illi à cæteris dissentiant. *Sic Card. Alban. quest. 27.* Quæres: quid fiet, si metu exire aliqui cogantur? Respondeo distinguendo: aut sublato metu redibunt illi, aut scelus. Si non redibunt ad decem dies expectati, electio ad reliquos pertinebit: at metu non sublato, reliqui ius electionis non habebunt. *Card. Alb. q. 27.*

Decimo tertio quaeritur, An Generale Concilium, Pontifice gradu dignitatis delecto, possit absq; Cardinalibus Papam eligere? Hæc quaestio in Concilio Constantiensi diu multumque agitata, & discussa fuit, & tandem, ut omnis discordia tolleretur, in eo conueniunt omnes; ut Cardinales, tam propria auctoritate, quam ipsius Concilii potestate, summum Pontificem eligerent: ita tamen ut cum ipsis Cardinalibus quælibet natio sex viros idoneos, & religiosos designaret, qui tunc solum Romanum Pontificis electioni interessent, & vna cum ipsis Cardinalibus, qui ad Concilium venissent, in Conclauē ingrederentur, cum auctoritate Romanum Pontificem eligendi: & is qui à duabus partibus Cardinalium, & eiusmodi hominum designatorum electus esset, verus, & legitimus Pontifex haberetur: Vnde triginta viri, ex quinque nationibus, sex ex singulis, Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, & Anglicana à Concilio delecti sunt, qui omnes sacris initiati erant: & in Conclauē ingressi, quarta post ingressum die, communi suffragio elegerunt in Romanum Pontificem, Othonem Columnensem, nobilissimum Romanum, Diaconum Cardinalem, S. Georgii in Velabro, qui Martinus Quintus appellatus est, eo quod ejus electio in die S. Martini Episcopi, & confessoris sacro celebrata sit.

Cæterum, quia controversia hæc summò omnium consensu, ad concordiam redacta est, operæ pretium est, ut quid iura in hæc re postulent, breuiter discutamus. Hanc quaestionem suæ, & latè tractat Cardinal. Albanus de Cardinal. quest. 35. sunt qui censent, penes Cardinales esse ius, & potestatem eligendi, vbi Ecclesia obitu Romani Pontificis, vel ipsius renunciatione vacua sit, aut si viduata fuerit, vel quia Romanus Pontifex est à gradu potestatis expulsus, vel quia eius electio irrita, & inanis declarata sit, ad Generale, inquit, Concilium pertinebit ius Pontificem creandi, quod colligunt ex eo, quod Constitutio in casu mortis electionem decernens, ad alium sedis vacantis modum protendi nec iure potest, nec debet, *c. susceptum, de rescript. in 6.* Deinde quia, in cap. transmissus, & in cap. Si duo, dist. 79. habetur: *vbi duo de Pontificatu contendunt, ille est notus ferendus, quem notabilis Cl-*

ricorum numerus, noua ordinatione diuinitus iudicium, & uniuersalis consensus elegerit. Hæc vbi quæ verba proprie generali Episcoporum Concilio conueniunt. Accedit, quod Constitutio, quæ hanc potestatem Cardinalibus concessit, nihil de Concilio electiois tempore cogit cogitasse videtur, sed potius cogendi Concilii, difficultates, & pericula præ oculis habuisse. Sed iure cautum est, ne Constitutio ad ea, quæ verisimiliter cogitata non fuerunt, trahatur. In l. si hominem ff. De Contrah. emptio, & c. cum olim de sent. & re iudic. Postremo, quia iura concedunt, ut Romano Pontifici potestas adimatur, si fuerit hæreticus deprehensus, cap. Si Papa dist. 46. Ergo iure est Concilio permittum, ut Pontificem eligat. Nam si quod plus est, iura concedunt, quod minus est, non intelliguntur denegare. *c. Cui licet, de regul. iuris in 6. & in l. Non debet. ff. eod. tit.* Et enim conferendi potestas videtur concessa, cui permittitur facultas auferendi, ut colligitur ex l. Nemo qui condemnare ff. de regul. iuris. Alii veto negant hoc ius ad Concilium pertinere, quia vbi ius nihil distinguit, nec nos distinguere debemus: at ius vniuersum Cardinalibus concedit potestatem, Romanum Pontificem eligendi. Quidam id facere Concilium posse putant, quoniam mortuo Pontifice, aut Pontificia sede priuato, tota Ecclesiæ iurisdicção est penes Generale Concilium: at Ecclesiæ potest hanc potestatem Cardinalibus auferre, eam enim ipsa concessit: ergo & Generale Concilium. Plerique tamen negant id facere Concilio licere: quia ea potestas est Cardinalibus data auctoritate Romani Pontificis, & approbatione Generalis Concilii, ut patet ex cap. Licet, & cap. Vbi periculum supra citatis: Ergo sola Concilii auctoritate potestas iure nequit auferri, nisi Romani quoque Pontificis consensus accesserit. Et hoc mihi magis probatur: ita tamen, ut sentiam sicut etiam tenet Cardinalis Albanus q. 53. eam potestatem posse Concilium adimere, si iusta alioqui causa subsit: ut si demerere, & officio esset ob crimine hæretici pontifex delectus, & Cardinales essent criminis participes, aut alia de causa suspecti: aut verisimiliter crederetur offensionem orituram, aut schisma, vel magnum Ecclesiasticæ pacis perturbationem: tunc enim ob communem Ecclesiæ salutem, iure posset ad tempus, non in perpetuum Cardinalibus ea potestas auferri, alioqui minime. Obijcies: Generale Concilium potuit id ius Cardinalibus concedere: ergo & auferre. Respondeo, potuisse quidem, sed non sine iusta causa, quæ quidem alicui ponderis, & momenti esse videtur.

Decimo quarto quaeritur: Qua ratione Cardinales, cum potestatem, & iurisdictionem Pontificiam non habeant in electum, a duabus ipsorum partibus transferant: cum sit regula legibus confirmata, neminem plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habeat: l. Traditio ff. de acquir. rerum dominio; & c. Nemo plus iuris, de regul. iuris, in sexto. De hac quaestione Cardin. Alban. de Cardinal. q. 22. Respondent quidam, prædictam iuris Regulam tantum modo locum habere, quando ius aliquod, nec actus, nec habitus, nec potestate penes aliquem est: at quando id saltem potestate quis habet, illud potest in alium omnino transferre: sicut inquit, rei dominus, licet in re sua usum fructum non habeat, potest tamen illum alteri concedere. Similiter nemo in re sua seruitutem habere dicitur, & tamen potest eam alteri constituere. Sed hæc exemplum non mihi videtur rem ipsam conficere, quia licet rei dominus in re sua usum fructum non habeat, tamen tamen ex ea colligendi ius habet, quod in alium transfundit: tamen etiam nemo in agro suo seruitutem habet, potest tamen per agrum suum ire, ambulare, iumentum agere, plaustrum trahere, aquam ducere: quæ omnia potest in alium transferre.

Dicendum igitur est, Cardinales potestatem Pontificiam non dare Pontifici à se delecto, sed Pontificem nominare tantum, designare, & deligere: nominatus vero, delignatus, & delectus ab ipsis Pontifex, à Christo Domino potestatem accipit: Christus enim eo ipso; quo re-

rum, & successorem eius suum Vicarium in terra constituit, promittit se daturum potestatem ei, quem ipsi Ecclesia, vel alii ipsius Ecclesie nomine in Pontificem delegissent. Eligunt igitur Cardinales: sed potestatem Pontificiam non conferunt: confert autem Christus: ac propterea ei, quem in Pontificem elegerunt, adimere nequeant potestatem: sicut hæres qui tandem ex voluntate testatoris vni familiæ ex ipsius relinquere cogebatur, licet arbitratu suo posset vnum potius, quam alterum eligere, nihilominus quia eorum vnum eligere necessario debuit, electo nihil de suo dare iudicatur: nam quod reliquit, omnino reddere debuit: & beneficium illud primo testatori, non hæredi eligenti acceptum ferendum est. Sic etiam Cardinales iure cogunt vnum eligere in Pontificem, ac electo nihil de suo tribuunt, sed potius Christus per ipsos, dat electo potestatem, vbi vnus de pluribus, & incertis eligitur, quemadmodum etiam si mandato meo, vt certum aliquid à me relictum vni ex pluribus pauperibus, quem tu elegeris, conferatur, id à me, non à te eligente habere intelligitur electus. Eodem modo, qui eligunt Imperatorem, aut Regem, quamuis ipsi Imperatoriam, aut Regiam potestatem non habeant, electus tamen ab ipsis Imperator, aut Rex, habet eam ratione iuris, & legis, quo Electores vnum ex multis eligere cogebantur. Pari ratione, quis iure privilegii sibi ab Pontifice, vel Imperatore concessi, potest Doctores & milites creare, quamuis ipse nec miles, nec doctor sit.

Decimo quinto quaeritur, An Cardinalibus liceat viuenti Pontifici, de successore eligendo tractare absq; vlllo ipsius Pontificis consensu: nam certi iuris est id licitum esse nura, & voluntate Pontificis adhuc viuentis, vt habetur in c. Si transitus, dist. 79. Respondeo, reum maiestatis esse eum, qui absq; Principis consensu de eius successore eligendo tractat. Bal. in l. quoniam liberi. C. de rest. vbi Innoc. citat. Vtq; iure damnantur, qui agunt de loco, dignitate, & bonis Principis viuentis absq; eius consensu, eo quod inde nascitur occasio oprandæ, captandæ mortis, quam omnes leges, & iura detestantur, & damnant: præsertim cum inter Præfulem, & Ecclesiam spirituale coniugium contrahatur, ponaque grauissima sint in coniuges constituta, qui matrimonio adhuc constituto, de alio incundo coniugio tractant. Sanè extat Constitutio Pauli I V. quæ incipit, eam secundum Apostolum, edita contra eos, qui viuenti Romano Pontifici, & eodem incito, de alio Pontifice agunt eligendo, vbi Pontifex sic ait: Omnes, & singuli tam clerici, quam laici, seu viri, seu femina, qui per se, vel alios, nobis viuentibus, & inconsultis, verbis, vel scriptis, aut nunciis cum aliquo de futuro Pontifice eligendo hæcenus tractauerunt, vel tentauerunt, seu in posterum Romano Pontifice viuenti, & inconsulto tractabunt, vel tentabunt, quauis dignitate, honore, & excellentia præditi sint, etiam Cardinalatus honore, Ducali, Regali, vel Imperiali auctoritate præfulgunt: ipso iure, absque ulla ferenda sententia sint excommunicati: à qua excommunicatione per alium, quam per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolui non possint. Et incurrant priuationem cuiusvis dignitatus Ecclesiasticae, vel secularis etiam Cardinalatus honore, vel Regali, aut Imperiali dignitatis, & cuiuscumque beneficii Ecclesiastici, regularis, vel secularis, & cuiuscumque annua pensionis, seu prouentus regni, vel domini, iure seu ali possit, & quorumcunque bonorum spirituum, & temporalium: Et eisdem poenæ subiecti sint ipso facto, qui per se, vel alium, auxilium, consilium, fauorem, vel operam, verbis, vel scriptis, re, aut factis, promissione, pollicitatione, susceptione, aut quouis alio modo, directe, vel indirecte, principaliter, vel incidentaliter præstiterint: Et quotquot in præmissis aliquo modo mediatores, nunciis, procuratores, seu extiterint, nisi per se, vel alium, cum primum commodo poterunt, id reuoluerint: huiusmodi enim etiam si complices fuerint, venia denabuntur. Anathematizentur etiam ipso iure subiecti eos, qui assensu remario afferuerint contenta in his literis iniusta, illicita, & vel aliqua existere, aut in toto, vel in parte non valere, seu ali-

quo tempore non valitura, aut à nobis fieri non potuisse, aut non debuisse. Hæc ibi Pontificia Constitutio.

C A P. III.

Alia quaestiones, de Cardinalium potestate diluuntur.

Primo quaeritur, Quid iuris, & potestatis habeat Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante? Nam videtur id posse, quod est iurisdictionis Pontificiæ, cætera enim inferiora Canonicorum Collegia post obitum sui Antistitis, Episcopali iurisdictione funguntur. c. Is, qui, de maior. Et obed. c. Cum olim, eodem titulo in sexto. Communis sententia receptum est, prædictum Cardinalium Collegium non posse ea præstare, quæ sunt Romano Pontifici reseruata, vt habetur in Clem. Ne Romani, §. Irritum, de elect. Nihilominus tamen Cardinales, causa schismatis tollendi, & sedandi, possunt Generale Concilium conuocare, c. si quis peccata, dist. 79. vnde tempore magni schismatis coactum est Generale Concilium Pisis. Deinde si quis à duabus partibus Cardinalium esset in Pontificem electus, & ab Vrbe mulcum distaret, ne Ecclesia damnium pateretur, donec ipse electionem ratam haberet, possent Cardinales nonnulla negocia expedire. Ex quo fit, vt Collegium Cardinalium nequeat vllum Cardinalem creare, nec constitutiones, aut leges ferre, vel iura iam antea Pontificis auctoritate confirmata abrogare, vel aliqua ex parte mutare. Ac propterea si quæ sint leges aliquid de Romano Pontifice creando statuentes, eas ipsi Cardinales feruare coguntur. Obijcies: possunt id quod maius est, nimirum Pontificem creare: quidni illud quoq; quod minus est? Respondeo, in his, quæ sunt iurisdictionis, infirmum esse huiusmodi argumentum, quandoquæ id quod maius, & quod minus est, natura, & ratione distinguuntur. Liquer etiam ex dictis, non posse Cardinales Legatum extra Curiam mittere, præsertim inuitum, nec Legatum à Pontifice ante missum reuocare: hæc enim, & alia similia Romano Pontifici reseruantur. Car. Alex. in Clem. Ne Romani, de elect. q. 2. Rogabis, cur Cardinalium Collegio tot, ac tanta denegentur, cum tamen Canonicorum Collegiis, quæ Episcopalis iurisdictionis sunt, concessa legamus? Respondeo, id merito factum esse, vt Cardinales Romani Pontificis electionem maturent, alioqui enim plura, & maxima damna, & mala crearentur Ecclesie.

Secundo quaeritur, Quid iuris, & potestatis habeant Cardinales, qui Episcopi non sunt, in Ecclesiis, quarum Titulos habent, & in Cappellis, ac reliquis Ecclesiis ipsorum titulis subiectas? Respondeo, eos habere iurisdictionem Episcopalem forensalem, Abbas, Felinus Et Butrius c. His qua. de Maiorit. Et obed. Imola in Clem. Ne Romani, de elect. Ioan. Monachus ca. 1. de Maiorit. Et obed. in sexto, Ludouicus Romanus cons. 498. Et Cardinalis Alban. de Cardin. q. 46. Mandosius in Regulam 7. Cancellaria q. 1. Ex quo fit, vt conferre queant omnia Beneficia, Canoniciatus, Præbendas, siue quælibet alia officia curam animarum habentia, siue non habentia. Nam Sixtus IV. amplissimum illis, iuste Felino in ca. His qua. de maior. Et obed. n. 1. privilegium concessit, vt conferre possint omnia beneficia, siue in Ecclesiis, quas, vel iure tituli, vel commendationis, vel administrationis habent: non obstantibus expectatiuis, vel reservationibus, nisi vacent in Curia: & summus Pontifex dictas Ecclesias, nisi expresso Cardinalis, ordinarii, vel commendatarii consensu conferre non debeat. Regula 7. Cancellaria habet: Item reseruat dispositioni suæ generaliter quoscumque Canoniciatus, & præbendas, ac dignitates personatus. Et officia in Basilica Principis Apostolorum, & S. Iohannis Lateranensis, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe, Ecclesiis, necnon ad collationem, promotionem, presentationem, seu quamuis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatus, Cardinalatus, & in eorum Cardinalatibus Ecclesiis, ac Titulorum spectantia, quæ ad id absentia sua durauerit, Canoniciatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, vacantia, & in antea va-

causa, tam in eadem Vrbe, quam in Ecclesijs, Ciuitatibus, & diocesis dictorum Episcopatum consistens, ac decernit, & iure communi summus Pontifex, quia est Vrbis Episcopus, habet potestatem conferendi omnia beneficia, quae sunt in Vrbe: sed concessit Cardinalibus conferendi beneficia suorum titulorum, praeterquam ius trium Ecclesiarum, quarum tres Cardinales sunt Archiepiscopi. Possunt item excommunicationis, suspensionis, & interdicti poenas irrogare, *Abbas, in c. his, qua. de maiorib. & obed. Possunt Pontificis insignibus vii. Hostiens. & Ioan. Andreas in cap. 1. de supplen. pralac. negligen. & benedicendi solemnem ritum more Episcoporum exercere. Hostiens. & Ioannes Andreas, loco citato.*

Quaerit aliquis, An Cardinales habeant potestatem Ordinis in eisdem Ecclesijs? Fuere qui dixerint, Cardinales Presbyteros, & Diaconos, etiam si Episcopi non sint, posse ea quae sunt Ordinis, & quae praestant Abbates Episcopo inferentes: ita ut conferre queant Primam Clericorum tonsuram, & Quatuor Mores Ordines his, qui sunt ipsorum Ecclesijs subiecti, ac proinde posse etiam eos vi Episcoporum insignibus. Alii vero quos sequitur Anastasius German. in tract. de indal. Cardin. §. Tam ratione, nu. 20. & seqq. negant eos posse, quae sunt Ordinis: bene tamen, quae sunt iurisdictionis. Certe iure communi non possunt: consuetudine tamen, ac privilegio, an potunt, ipsorum est videndum, an id privilegium habeant, & an talis consuetudo sit. Testatur itidem Mandosius in Regularum 7. Cancellaria, q. 2. n. 7. in ecclesijs suorum titulorum eos, non tantam iurisdictionem habere, ut possint causas criminales, vel civiles cognoscere, ac iudicare, nisi privilegium Pontificis id faciant. Eodem quoque teste ibid. n. 10. in Monachos, qui in ipsorum titulis commorantur, non habent iurisdictionem in ijs, quae pertinent ad eorum Religiosam disciplinam, & Monasticum institutum ob eius honorem & cultum.

Tertio quaeritur, An Cardinales commorari, & residere debeant in ijs ecclesijs, quarum sunt Episcopi, & curam internam & externam animarum habent? Duae sunt opiniones, Vna earum negat, ob id, quod Cardinalium sit Romano Pontifici assidere, cuius sunt adiutores, consilarii, & socii. Deinde qui Romano Pontifici inferunt, non videntur à suis Ecclesijs abesse. Nam Romanam Ecclesiam, quae est omnium mater, & caput, suo consilio, labore, industria, & opera iuuant: ac proinde ceteris etiam ecclesijs inferunt. Sic Oldradus conf. 48. Ioannes Andreas: in c. Ecclesia vestra, 2. de elect. & in additionib. ad speculatore, tit. de Legatis. Hosti. Butr. in c. citato, Ecclesia vestra. Innocent. in c. iam dudum, de praeben. Laobac. li. 1. de consil. fol. 37. Andreas Siculus tract. de Cardin. q. vii. Martinus Laurentis, de Card. p. 2. q. 42. & 44. affirmantes hanc fuisse communem omnium Iuriconsultorum sententiam.

Altera opinio affirmat, eos residere oportere, in his est Panormitanus in c. Bona memoria, de postulat. & c. ex gestis. de Cler. non resident. & c. Ecclesia vestra, n. 15. de elect. quamuis quidam eius sententiam non recipiant, assentes eam ita sensisse, quod ad Cardinalis honorem, & dignitatem, ad quam aspirabat, euectus non fuerit. Abbas sententiam sequitur Ioannes Imola in c. praedicta, Ecclesia vestra, & Felinus in c. Nonnulli, n. 65. de rescri. Sic etiam inter Theologos sententia Caic. 2. q. 185. art. Soc. lib. 10. de iust. q. 3. art. 4. Cui & plurimum fauet, quod Synodus Trid. Sess. 23. c. 1. de reformat. decreuit his verbis: *Declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs quibuscunque nomine, & titulo Praefectos, etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi tenentur: neque abesse posse, nisi ex causis, & modis infra scriptis.* Haec ibi.

Vnde post Concilium Trid. prima sententia, quamuis multorum Auctorum iudicio confirmata fuerit defendi non potest.

Quod autem Romano Pontifici Cardinales assideant,

& communi totius Ecclesiae bono operam dent, iustam praebet causam, ut ipsius Romani Pontificis indulgentia suis ecclesijs abfint: non autem eo praecise, quo Cardinales sunt, à residendi lege, & praeccepto liberantur. Et quia Auctores primae sententiae videbant passim singulos Cardinales à suis ecclesijs Cathedralibus abesse, quia Curia Romana sine Summi Pontificis consensu recedere nequeunt, ideo occasionem sumpserunt opinandi, eos residendi legibus non teneri: sed dicendum est, eos Pontificia indulgentia ab his legibus solui. Nam ipsum Concilium Trid. loco citato, definit iustas causas esse, ut Episcopi abfint à suis Ecclesijs ob Christianam charitatem, vigentem necessitatem, debitam obedientiam, euentem Ecclesiae, vel Reipublicae utilitatem. Hinc est, ut cum Episcopus in Cardinalem eligitur, ille vel Episcopatum deponat, & cum incipiat iure perpetuae administrationis, vel commendationis habere, vel Pontificia indulgentia à residendi lege soluantur.

Solent itidem Cardinalibus Episcopatus conferri, sed vel commendati, vel iure administrationis perpetuae dati: vel certe Pontificis concessu ipsi Cardinales ab omni residendi lege soluantur: neque enim licet ipsi Cardinalibus priuata auctoritate ab Vrbe discedere.

Quaerit, An Cardinales in ecclesijs suorum titulorum commorari, & residere debeant? Respondeo, debere, nam Leo Quartus, ut habetur in cap. Ex gestis, de Cleric. non residentibus Anastasium Presbyterum Cardinalem S. Marcelli, ab Officio, & dignitate amouit, eo quod per annos quinque ecclesiam suam deseruisset, contra Canonum institutionem.

Quarto quaeritur, An Cardinales eo ipso, quo Cardinalium numero ascripti sunt, ab alijs legibus soluantur, quibus cautum est, ac quis duo, aut plura beneficia simul habeat, & de multa, de praeben. Extrauag. Execrabilis, de prae. Duae quoque sunt opiniones: Prima, eos esse hisce legibus solutos affirmat: quam opinionem Hostiensis in c. Ecclesia vestra 2. de elect. Ioan. Andreas, Butrius ibidem, Andreas Siculus in c. Bona memoria 1. de postulat. Item Martinus Laurentis in tract. de Cardin. 2. par. q. 42. Barbot. de praefat. Card. q. 2. tuncur, ac probant ex eo, quod cum Cardinales generali Ecclesiae deseruiunt, cuiuslibet etiam deseruire intelliguntur: ac proinde rationes & causae, quibus Canones, & iura prohibent, quo minus quis plura beneficia possideat, ad Cardinales trahi, & protendi nequaquam videntur. Est enim id legibus interdictum, tum ne aliquis plura munerat, & officia praestet, cum certe plura vnus obire simul non possit: tum ne quis operatiorum plurimorum sibi stipendia vendiderit. Haec, inquit illi, in Cardinalibus locum non habent, qui Romano Pontificem totius Ecclesiae, quae est omnium ecclesiarum mater & magistra, pastorem suo consilio, industria, & opera iuuant: ac proinde cuiuslibet ecclesiae commodis praesunt & consulunt.

Secunda sententia docet, eos hisce legibus, sicut & alios comprehendere. Sic Abbas in c. Bona memoria 1. de postulat. & c. ex gestis, de Cleric. non resid. c. Ecclesia vestra 2. de elect. & Ioan. Imola, & Felinus locis citatis. Haec mihi magis probatur: nisi quod in Cardinalibus iusta subest causa, ut Romani Pontificis indulgentia ab huiusmodi legibus soluti plura Ecclesiastica beneficia consequantur. Nam, ut habetur in extrauag. Execrabilis, de praeben. inter Extrauagantes Tenenti 22. Cardinalibus conceditur, ut plura beneficia simul habeant. Itē, ut in c. de multa, de prae. dicitur: *iusta causa est ad plura beneficia possidenda: si quis sit doctrina, fama, industria, & prudentia clarus: neque opera diligentia maxime utilis esse credatur.* [Ecclesia enim talibus vitis indigere videtur, & ob id eis multa posse concedi, constat, quae ceteris merito denegantur, ut insinuat tex. in c. Cum ex eo, de elect. in 6. Nam idcirco egregijs strenuisq; militibus, & ducebus maiora stipendia, & praemia tribuuntur: praesertim cum ob splendorem, & excellentiam personarum à rigore legum recedi possit. l. Ad bestias ff. de poenis, & Cardinales honoris, amplitudinis, & dignitatis auctoritate praesent.

511

Quinto queritur, An in eo, qui ad Presbyteri, vel Diaconi Cardinalis dignitatem euehitur, priora quae obrinebat beneficia ipso iure vacent? Communis sententia receptum est, non vacare. *Id docent Hostiensis, Ioan. Andr. Ancharanus & alii in c. Ecclesia vestra, 2. de elect. Cardin. Albanus q. 42. de Cardin. in privilegio vigesimo.* Quidam tamen inter quos est Abbas in eo capite, Ecclesia vestra, sentiunt iure communi beneficia, in quibus Clericus residere debet, vacare: at vsu & consuetudine Curiae, licite à Cardinalibus Presbyteris, vel Diaconis retinere, quod certe ex ijs quae diximus, colligi videtur. Nam Cardinales, siue Episcopi, siue Presbyteri, siue Diaconi in iuis ecclesiis, quibus praesentantur, iuri dictionem, ac proinde curam animarum fontem habent, ergo in ipsis commorari, ac residere communi iure coguntur. Deinde, quia comprehenduntur ijs legibus, quibus cauetur, ne quis plura beneficia possideat. Sed tamen testibus Cardin. Albano quaestione curata, Firm. in tract. de Episcop. 1. part. lib. 2. quaest. 21. versic. Ad Cardinalitatem. Martino Laudensi tract. de Cardinal. quaestione quadragesima prima, in more positum est, vt Cardinal. Presbyteri, vel Diaconi priora beneficia retineant, quoniam generali Ecclesiae deseruiunt, & iustam absentiam habent excommunicationem, ac proinde iacta Rom. Pont. indulgentia privilegio donati censentur, ne priora, quae habebant beneficia, amittant.

Sexto queritur, Quid iuris & potestatis habeant Cardinales in testamento faciendo? De hac quaestione Cardin. Albanus tract. de Cardin. q. 48. Respondeo, distinguendo: aut Cardinalis est ab omni Religione prof. sione & regula solutus, aut adstrictus. Si adstrictus, quicquid acquirat, videtur in rem ipsius ecclesiae transire, vt docet Abbas in c. 1. de testam. & ob id testari iure non potest, poterit tamen Rom. Pont. eonsensu. Si solutus, potest testari de bonis, quae sui patrimonii iure possidet, aut de bonis propria pecunia partis, aut suo labore, opera, & industria acquisitis: aut causa legationis, vel cuiuslibet alterius muneris, & officii, quod aliqui saeculares obire consueverunt, aut de illis, quae quatenus est Clericus, suo tamen labore comparauit. Hac omnia colliguntur ex c. Relatum 2. de testam. c. Placuit 12. quaest. 2. c. Cum esset de testam. c. Quae vos, eod. tit. Non autem testari Cardinalis potest de ijs bonis, quae ratione dignitatis, Ecclesiae, cuius est Cardinalis, Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, aut Beneficiarius lucrificat, vt est communis omnium opinio. Hostiensis, Ioan. Andr. Pa. nornitani, Butrii, Ancharani in c. Cum in officio. de testam. c. Quia nos, eod. tit. Barbat. in tract. de Praeslat. Card. q. 3. cap. 4. Quare necessarius est Romani Pontificis assensus, vt testamentum de hisce bonis, sit ratum, & firmum: & vt licite fiat.

Sed illud in quaestione est, An possint Cardinales testari de ijs bonis, quae quotannis percipere consueverunt ratione Cardinalitii galci? Barbat. lib. praefato negat: ac Socin. Consil. 91. lib. 3. quem sequitur Cardin. Alban. q. 15. affirmat: quia haec bona Cardinalibus non dantur ratione ecclesiae, vel beneficii ecclesiastici, cui praesunt, sed simpliciter ratione muneris, & officii, quo apud Romanum Pontificem funguntur. In hoc tamen consuetudini Curiae Romanae stare debemus.

Septimo queritur, Quando Cardinali facultas conceditur, an testari debeat, si iura solemnibus formula iuris Ciuilibus, an tantum iuris Canonici? Respondeo, quidquid dicat Barbat. de Praeslat. Cardinal. quaestione quarta, numero primo, facultatem intelligi, vt testari queat, seruatis, quae Canonico iure, non Ciuili praescribuntur. Et quia ius Canonium, vt patet ex c. Cum esset. c. cap. Relatum. de testamen. solum requirit duos, aut tres testes, ideo testamentum subsistit factum à Cardinali duobus, aut tribus testibus adhibitis: quamuis iure Ciuili septem requirantur: testamenta Cardinalium Romani Pontificis consensu facta iuxta Canones, non leges ciuiles metiri debemus.

Octauo queritur, An si à pontifice data sit Cardinali testandi facultas, testamentum ab eo ante factum con-

firmetur? Paulus Castic. quem cit. Alban. de Cardin. q. 48. docet absolute concessa potestare confectum prius testamentum roborari, idque colligit ex l. si quis filio. §. Irritum. ff. de iust. testam. vbi Iuriconsultus ait: Si damnato ad mortem, qui testamentum faciendi facultatem amiserat, testandi potestas detur, testamentum ab eo antea conditum valere. At Socinus ibi Paulum refutat, quoniam testamentum, de quo loquitur ibi Iuricon. ultus, fuerat ab eo factum, qui tempore testamenti confecti testari poterat: at secus est in Cardinali, qui eo tempore, quo testamentum fecerat, testandi potestatem non habebat: quod autem initio non voluit, tractu temporis vires habere non incipit, vt colligitur ex leg. Posthumus. ff. De iust. testam. sic etiam contra Paulum sentit Iason. in l. Quomodo. nu. 21. ff. de sumi. Alii vero ita distinguunt: Aut Pontifex, cum facultatem concessit, testamentum esse iam factum ignorauit, & illud conualescit, aut secus, & illud non confirmatur. Mihi opinio Socini, & Iasonis contra Paulum magis probatur, quoniam verba, quibus facultas testandi conceditur, futuri temporis sunt, non ergo ad testamentum ante iam factum porriguntur, & ita in Romana Rota iudicatum fuisse, testatur Caputaquen. decis. 258. part. 3. vt refert Anastas. German. de Indulgen. Cardinal. §. quod tu Romanam num. 35.

Nono queritur, An data facultas vim, & locum habeat, si in publicas tabulas Apostolicae Camerae relata non sit? Respondeo, minime, quoniam extat Pontificia constitutio à Pio IV. edita, quae incipit, Ingens, & est ordine 13. in qua generatim praecipit, vt impetrantes privilegia, & quascunque facultates à Pontifice Romano, continentur aliquid, quod Camerae Apostolicae interfit, intra tres menses, eas in publicas tabulas Camerae Apostolicae referendas curent, etiam si Cardinales sint, alioquin nullius momenti & firmamenti in iudicio, vel extra sint.

Decimo queritur, an facultas data finiat per primu testamentum? Decius consil. 402. c. consil. 512. sentit eam per primum testamentum extingui: ac proinde Cardinalem semel tantum testari posse, nec amplius ei testamentum mutare licere. quoniam huiusmodi facultas odiosa est, ac propterea restringenda. Id colligit à simili: facultas enim publice proscripito data in Vrbem veniendi, intelligitur concessa, vt semel tantummodo veniat. Partitione data facultas alicui, vt in Coenobium Sacrarum Virgum ingredi possit, intelligitur concessa, vt semel tantum introeat. Sic etiam Socin. l. unior. consil. 89. lib. 1. quae opinionem sequutus est Coar. in c. Cum in officio, de testam. nu. 8. qui post primam, & secundam sui operis editionem contrarium sentit. Cum Decio sentit Redoanus, tract. de spoliis Ecclesiasticis. q. 7. versic. Et ista gratia, sui licentia. Sed verior est eorum sententia, qui sentiunt facultatem testandi per primum testamentum non desinere. Ioan. Andreas, Dominicus, & alii in c. Non potest §. Illud. De Praeben. in sexto. Sic Tirag. in l. Boues §. hoc sermone. l. unior. 27. ff. de verbor. signif. post Baldum in c. 1. in principio. vers. deinde quare pone quod Princeps, tit. de pace Constantiae. Sic etiam in Rota Romana definitum est, p. 1. dec. 47. nam idem iuris non est de testamento, quod de aliis, quae Decius in medium produxit. nam testamentum non nisi morte testatoris confirmatur, & hominis voluntas vltima non est ante extremum vitae tempus, vt caetera primo acta perficiuntur.

Vndecimo queritur, an valere queat consuetudo dans Cardinalibus testandi facultatem? Innocentius in capit. Cum in officio de testam. generatim concedit eiusmodi consuetudinem in Clericis Beneficiariis ratam, & firmam esse, quoniam est solum iuri Canonico, non diuino, aut naturae contraria. At Hostiensis, Ioan. And. c. 5. cap. Ad hoc, de testam. negant consuetudinem vim & locum habere, quia Ecclesiae detrimentum, & damnum inferret, & talis consuetudo iure ipso damnatur, cap. 1. De consuetu. Abbas ca. Cum in officio, De testam. distinguit: aut consuetudo dat potestatem testandi in rebus mobilibus, & modicis, &



hæc valet: aut de immobilibus, vel mobilibus, quidem, sed magnis, & hæc vim, & locum habere non potest, quoniam esset oneri, & damno Ecclesie. Item docet generatim valere consuetudinem dante Canonico facultate testandi, de fructibus ex beneficio capiendis, anno post obitum sequenti: *quoniam hæc, inquit, consuetudo potius succedat, quam Ecclesia vocet.*

Duodecimo quaeritur, An possit Pontifex Cardinali facultate concedere testandi simpliciter in quolibet vsus, quos ipse voluerit? Quidam negant eam facultate dari posse, nisi in pios vsus, propterea quod Ecclesie bona, non nisi in pios vsus impendi queant, cum ad vsus ecclesie, & ad pauperes eorum modo sustentandos instituta esse videantur. Sic Barba in tract. de Praest. Card. par. 1. q. 4. Nauar. in Libel. de Reudibus Ecclesie q. 3. Sed probabilior est eorum opinio, qui centent, posse eum Pontificem concedere in quolibet vsus, dum modo liciti sint, & honesti, non vani, vel inutiles, vel sordidi. Nam Pontifex eam sic concedere consuevit. Nec enim dicit: Damus tibi facultatem testandi in pios vsus: sed simpliciter, in quoscunque vsus quos tu ipse malueris.

Tertio decimo quaeritur, An Constitutio pontificia generatim lata teneat ipsos quos, Romanae ecclesie Cardinalis? Hanc quaestionem nos supra p. 1. l. 5. c. 11. q. 5. diluimus.

Decimo quarto quaeritur, Quenam aetas, quæ rerum scientia, & cognitio, quæ vitæ, & morum probitas, & Quinam ecclesiastici ordines, qui Natales in Cardinalibus requirantur? De his suo ordine dicemus, inferius li. 6. cap. 5. n. 14. & in 6. eiusdem lib. quest. 10. & c. 7. q. 18. ad finem, & cap. 8. q. 1. 1.

Decimo quinto quaeritur, An Cardinalis possit in Episcopum eligi, an solum postulari? Hanc quaestionem tractant Panormitanus in c. Ecclesia vestra 2. de elect. nu. 15. vbi duas proponit sententias: Vnam Hostiensis, qui sentit non posse eligi, sed postulari, sicut nec Episcopus potest eligi, sed solum postulari, cap. vltim. de Postulat. eo quod sicut Episcopus est suæ Ecclesie adstrictus, sic Cardinalis est Ecclesie Romanæ alligatus. Item, quia Cardinalis sine consensu Papæ nequit a Curia Romana abesse. Insuper in c. Bona memoria 1. de Postulat. Pralat. dicitur, Clericis Rauenantensis Ecclesie: *Quidam vestrum Sanctæ Prædix Presbyterium Cardinale, quidam vero Imolensem Episcopum postulerunt.* Vbi sicut Episcopus Imolensis sui postulatus, non electus, in Prælaturam Ecclesie Rauenantensis, sic etiam Presbyter Cardinalis Sanctæ Prædix fuit postulatus, non electus. Vltimo quia Cardinalis est Episcopo superior, & maior dignitate, & officio.

At Panormitanus loco citato, secutus Abbate antiqum, & Aegidium, censet Cardinalem Presbyterum, vel Diaconum posse eligi in Episcopum, non solum postulari. Sic etiam Ioan. Andr. in cap. Ecclesia vestra citato. Panormitanus id probat, quia in c. Ecclesia vers. 6. de elect. dicitur de quibusdam Canonicis, eos elegisse in Prælaturam Presbyterum Cardinale Canonice. Deinde, quia aliud est de Episcopo, aliud de Cardinali, quoniam inter Episcopum, & eam Ecclesiam est contractum matrimonium spirituale, cap. Inter corporalia, de translatione, & ideo Episcopus postulari quidem potest ad aliam Ecclesiam, eligi tamen non potest: Sed Cardinalis, Ecclesie sponsus non est. Nec obstat, quod à Curia Romana sine facultate Papæ recedere nequit: quia etiam Abbas à Monasterio exire non potest, sine sui superioris consensu, & tamen potest eligi in Episcopum. Nec itidem impedit, quod Cardinalis sit Episcopo maior officio, & dignitate: quia Episcopus ideo nequit eligi ad aliam Ecclesiam, quoniam est suæ Ecclesie sponsus, Cardinalis non item. Zarabilla in prædicto c. Ecclesia vestra, dicit: *Olim cum Episcopus erat dignitate Cardinali superior, poterat Cardinales in Episcopum eligere: nunc quia Cardinalis est dignitate maior Episcopo, nequit eligi, sed postulari.*

Meo iudicio opinio Hostiensis est verior: quia in capitulo, Bonæ memoriæ, primo de postulatione Prælatorum Presbyter Cardinalis Sanctæ Prædix postulari, non eli-

gitur. Nec obstat, quod in c. Ecclesia vestra 2. de elect. Cardinalis Canonicus eligitur, non postulari: is enim erat Canonicus, & vt Canonicus fuit electus in Episcopum, vel non erat ille Sanctæ Romanæ Ecclesie Card. sed Canonicus Cardinalis, id est, principalis inter Canonicos illius Ecclesie.

Decimo sexto, quaeritur, Quinam Cardinalis, in foro poenitentiae sua peccata confiteri debeat? Sotus in 4. distin. 18. q. 4. art. 2. versic. Cardinales. Respondet sic: *Cardinales non Episcopi, præter Legatos, non eo fruantur privilegio, quo Episcopi, vt Confessarium scilicet eligere sibi queant, quia ipsi non sunt Prælati, sed tam consuetudine non subduntur Episcopi in foro poenitentiae, sed immediate Papæ, & sunt tanquam Ordinarii suorum Commensalium. Sicille.*

Hostiensis in sum. de Poenitentia, & remissione. §. Cui confitendum, versic. Cui Cardinalis, postquam varias sententias retulit, tandem concludit. Episcopi Cardinales sibi idoneum Confessarium eligere posse, in xta id quod habetur in capitulo. Ne pro dilatione. De Poenitentia, & remissione, quia Episcopi sunt. Cardinales itidem causa legationis abentes possunt etiam eligere Confessarium idoneum iuxta capitulum. Ne pro dilatione, quia Prælati sunt, & exempti. Cardinales non Episcopi, dum videlicet Romæ commorantur, alicui ex poenitentiaris Papæ confiteri debent; quia sunt Papæ proximi subiecti. Tutius tamen arbitrat, si à Papa eligendi Confessarium facultatem impetrarent, eo quod Cardinales Papæ immediate subiecti sunt. Sic etiam cum Hostiensis censet Siluast. Confessor, x. q. 1. Tabien. Absolutio, l. 1. n. 37. & Armill. Absolutio n. 14. Cardinalis Alba, q. 49. Hoc locum habebant ante Concilium Tridentinum. Nunc vero Cardinales, qui nec sunt Episcopi, nec Legati, confiteri debent vni ex approbatis ab Episcopo proprio Confessariis, quia si approbatus non est, non reputatur idoneus ad audiendas confessiones.

Quæres, An Cardinales Episcopi, & qui Legationis causa abentes ab Vrbe sunt, possint eligere sibi Confessarium eum, qui ab Episcopis propriis approbatus non sit? Meo iudicio non possunt; nam Concilium Tridentinum, Sessione 23. ca. 15. de Reformatione statuit: nullum, etiam Regularem posse confessiones secularium audire, etiam Sacerdotum, nec idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur: ergo post Concilium nullus reputatur idoneus Confessarius, nisi fuerit ab Episcopis approbatus: Cardinales debent eligere eum, qui sit idoneus: ergo vni ex approbatis confiteri debent.

Nec obstat, id quod habetur in cap. vltimo, de Poenitentia & remissione, vbi datur facultas Prælati exempti, qui possint eligere sibi Confessarium, & discretum, quem ipsi maluerint: quoniam id locum habebat ante Concilium Tridentinum, nunc non item.

Dices, Non est verisimile, prædicto Concilii Tridentini Decreto derogatum fuisse privilegio, quod erat concessum iure communi Prælati in c. vitæ de Poenit. quia in eo Decreto, solum dicitur nullum reputari debere idoneum Confessarium ad audiendas confessiones secularium, etiam Sacerdotum: at nomine Sacerdotum non videntur intelligi Episcopi, sed simplices Sacerdotes: nam in poenis, & odus non comprehenduntur Sacerdotes dignitate præditi simpliciter appellatione Sacerdotum. Item Episcoporum est approbare Confessarios: ergo non est probabile Concilium Tridentinum sustulisse Episcopis privilegium eligendi Confessarium arbitrato suo: nam maius quid est approbare Confessarios, quam habere facultatem liberam eligendi Confessarium. Item in Decreto Concilii Tridentini videntur solum abrogari Confessariorum facultates, non Prælatorum. Respondeo: quidquid prædicta argumenta concludant, in Declarationibus à Cardinalibus editis super Concilium Tridentinum haberi, consultum de hac re Gregorium XIII. respondisse, potius esse in hærendum verbis Concilii Tridentini, quam Episcopis.

Decimo septimo quaeritur, An Cardinales tuta conscientia tacere queant, quando in consistorio aliquid contra vilitatem, & decus ecclesiae proponitur, siue in consistorio em deservit? *De hac questione Cardinal. Albanus de Cardinalibus quaest. 10.* Respondeo, distinguendo: Aut certo, & euidenter est contra commune ecclesiae bonum, & tunc tuta conscientia, tacere veritatem Cardinalis non potest, quamuis sibi odium patiat: aut res dubia est, & tunc si maiori Cardinalium parti contraria sententia placuisset, & nihil profuturam suam sententiam Cardinalis certo, & manifesto, aut saltem bona fide intelligat, tuta conscientia contrariae maioris partis sententiae adherere potest: tunc enim non videtur errare: & in odium aliorum incidere, aut imprudens haberetur. Item suo suffragio nihil profus Cardinalis efficeret: & in dubiis prudenter aliorum consilium sequimur.

Decimo octavo quaeritur, Quis insignia Cardinalitiae instruat? Innocentius Quartus, in Perigilio Natalis Domini, anno salutis humanae 1244. Lugduni in concilio Generali 13. Cardinalibus viris excellentissimis creatis, eius Ordinis insignibus proprium in signe, pileum rubrum dedit. Auctor est Martinus, qui in eo tempore vixit, in huius Pontificis vita: quo significabatur, eos etiam caput suum, si opus esset, pro ecclesiastica libertate tuenda offerre debere, & praesertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à Federico II Imperatore vehementer oppugnabatur. Paulus I. publico Decreto precepit, proposita poena, ne quisquam pileum rubrum, praeter Cardinales gestaret. Quibus etiam primo sui pontificatus anno pannum coccinei coloris dono dedit, quo equos, vel mulas ornarent, cum equitarent, voluit praeterea decretum edere, vt galeri Cardinalium ex serico coccineo fierent. Sed id quo minus decerneretur, vetere illi, qui bene sentientes diminuendam ecclesiae pompam, non augendam cum detrimento Christianae religionis praedicabant.

Decimo nono quaeritur, An sine Cardinalium consilio possit Romanus Pontifex ardua ecclesiae negotia tractare, expedire, atque conficere? cuiusmodi odi sunt Cardinales. Episcopos transire, generalem legem promulgare, feuda magna concedere, Legatum à latere mittere ad prouinciam, vel Regem, vel principem, bellum indicare, alienare res pretiosas ecclesiae. *De hac questione Cardinal. Albanus tractat. de Cardinalibus, q. 39.* Multi pontifici iuris Interpretes senserunt, id non posse facere summum pontificem sine consensu cardinalium. Sic Ioan. Monachus in e. Super eo. de Heretic. in sexto, Cardinalis in consilio 150. & in Repetit. super cap. Perpendimus, de sententia excommunic. & in cap. Lites, de electio. Archidiacon. in cap. Sicus quidam, vigesima quinta quaestio prima, & in c. Cum Redemptor, 11. quaestio. 1. Baldus in l. cum multa. C. de bonis, qua liberis, Iason in l. placet. C. de sacrosanctis Ecclesiis, Aretinus in l. 2. ff. Solutio matrimonii. Felinus sibi contrarius in e. vit. §. 1. de officio iudic. delegat. Vnde Martin. Laud. tractat. de Cardinalibus, 1. quaestio. 2. & Barbatius tractat. De praesentia Cardinalium, & consil. 40. volum. 4. aiunt collegium cardinalium quasi possessionem habere, ne sine eorum consensu ardua negotia expediat Romanus pontifex.

Communis, & vera sententia est, vt testatur Cardinalis Albanus loco citato, absolute & simpliciter posse pontificem negotia ardua expedire sine Cardinalium consensu: habet enim suam potestatem, & iurisdictionem proximè à Christo Domino, non ab homine: adhibet ad sua consilia Cardinales, sed non eget ipsorum consensu, vt ratum sit, & firmum, quod facit.

Vigesimo quaeritur, Cardinales quot gaudeant priuilegiis? Quidam vsque ad ducenta priuilegia percensent; Alii vero multa pauciora. Nobis satis erit, insigniora, & vsu recepta numerare.

Primum est: Si damnatus ad patibulum duceretur, & Cardinali obuiam factus, ab eo veste, aut pileo tegeretur, liber euaderet. Hoc priuilegium consuetudine introductum est. *Cardinalis Albanus q. 42. ex Abbate, Baldo, Paulo,*

Saliceto, Felino, quamuis Antonius Corsetus in singul. verbo Cardinalis hanc consuetudinem improbet, quippe qua homines ad facinus audaciores redderentur, & maleficia manerent impunita.

Secundum: Cardinales in testamento condendo militum priuilegium habent: non enim tenentur legibus Civilibus, quibus in testamentis sollemnibus quaedam formula iuris requiritur. *Abbas, quaest. 42. ex Bal. Socino.*

Tertium: A sententia toto Cardinalium consensu data, minime appellatur. *Alban. q. 42. ex c. ecclesia habet Senatum 16. q. 1.*

Quartum: Qui Cardinales offendunt, puniuntur tanquam laesae maiestatis rei, eo quod sunt ipsius Romani Pontificis velut partes, & membra. *Felini, de panis.*

Quintum: Cardinali asserenti se Romani pontificis Legatum esse extra curiam, fides habetur: eo quod sine legatione Cardinales extra curiam ire non solent. *Card. Alban. quaest. 41. ex Ioan. Andr. Baldo, Abbate.*

Sextum: Cardinali sibi aliquid viuae vocis oraculo demandatum esse creditur. Similiter in causa Cardinalis commissis, ac demandatis eius dicto fides habetur. *Cardin. Alban. eadem quaest. 42. ex Ludo. Baldo, Saliceto.*

Septimum: Cardinales Episcopos Romanus pontifex fratres appellat, tanquam in munere, & officio episcopali adiutores: Ceterum Diaconos Cardinales filios vocat, non fratres, quia non sunt Coepiscopi; at vero cum eos cum episcopis Cardinalibus coniunctos appellat, fratres omnes simul compellere consuevit: ei enim omnes asserunt, sicut Canonici suo Episcopo. *Gloss. in c. 1. in verbo, Fratres, de renuntiat. in 6. & Gloss. in Extrauag. Execrabilis, in verbo. Cum fratrib. de praben. inter Extrauag. Ioan. 22. Cardin. Alban. de Cardin. q. 5.*

Octauum: Quamuis Romani pontificis Vicarius in Vrbe plena iurisdictione fungatur; attamen qui sunt Cardinalibus subiecti, à suis Vicariis iudicantur, & ad eos remitti debent. *Card. Alban. q. 42. in priuileg. 15.*

Nonum: Cardinalibus indigentibus, debet summus Pontifex subuenire: caput enim suis membris indigentibus succurrit. *Cardin. Alban. quaest. 42. in priuileg.*

Decimum: Soli Cardinales Legati à latere nuncupantur extra curiam missi. *Alban. quaest. 42. in priuilegio 22. & 23.*

Vndecimum: Is, qui ad Cardinalis dignitatem euhitur, eo ipso ab omni patria potestate liberatur. *Glossa in Extrauag. Execrabilis, de praben. inter Extrauag. Ioan. 22.*

Duodecimum: Cardinales sententia suspensionis, vel interdicti in diplomate pontificio, vel Motu proprio, mandato, vel constitutione generaliter promulgata, minime afficiuntur, nisi specialis eorum mentio facta sit. *Alban. quaest. 42. priuileg. 31. ex Ioan. Andrea.*

Decimum tertium: Cardinales dicuntur Ecclesiae Senatores; ac proinde Illustres personae censentur. Episcopi enim ac ceteri, Clarissimi vocantur. *Alban. quaest. 22. in priuileg. 35. & 36.*

C A P. IV.

De summo Pontifice Romano.

Primum quaeri solet, Vndenam summus Romanus Pontifex dictus sit Papa? Nonnulli putarunt, hoc nomen Papa, esse ex duobus Latinis nominibus conflatum, vt idem sit Papa, qui pater patrum, & Romano Pontifici tantummodo esse tributum, quod is sit pater patrum, quia est omnium Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum honore, dignitate, auctoritate, & iurisdictione primus. Mihi vero probabilius videtur, quod alii prodiderunt, hoc nomen pater patrum, tribui quidem Romano pontifici, vt totius Catholicae ecclesiae praesuli, siue patri; nihilominus tamen ab ea nomen Papae esse diuersum. Extat enim ex concilio prouinciali Epiri coactio, quod manuscriptum in Bibliotheca Vaticana seruat, Epistola ad Hormisdam Papam scripta, cuius est inscri-

ptio: Iohannes, Mattheus, Constantinus, & c. Domino nostro per
cuncta Sanctissimo, & Beatissimo Patri patrum, Commisere,
ac Principi Episcoporum Hormisda Papa. Vbi Hormisda, &
pater patrum simul, & Papa vocatur, ac proinde diuersae
significationis videntur esse nomina.

Porro vera, & germana Papae nominis interpretatio est,
ex Graeca voce Πάππας, id est, pater: quamuis quidam de-
ducant à Pappus, id est, auus. Sed in prima significatione
passim acceptum nomen legimus, ut scribit Vualfridus cap.
7. de rebus Ecclesiasticis. Et quamuis prima sui origine, & si-
gnificatione idem sit Papa, qui pater, vsu tamen, & con-
suetudine transit in nomen honoris, & dignitatis: ita ut
Episcopi, tanquam colendi, ac venerandi patres, soli vo-
cari ceperint Papae. Extant enim multa exempla apud
Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Rufinum, Sul-
pitiu Scuerum, Sidonium Apollinarem, quibus Episco-
pi Papae dicuntur. Nec solum praefatis illis temporibus sic
vocabantur, sed etiam apud S. Eulogium Cordubensem,
qui floruit anno salutis 850. hoc nomen commune erat o-
mnium episcoporum: frequentius tamen summo Roma-
no Pontifici tribui solebat, ut facile colligi potest ex Epistol.
Cassiodori, Nicephori lib. 14. cap. 34. refert Caelestinum Roma-
num Pontificem privilegia concessisse. Cyrillo Episco-
po Alexandrino a se titulum Legato in Sancto Concilio
Oecumenico Ephesino, ut Papa diceretur, mitraque ute-
retur: eate, si Papae nomen tunc erat commune omnium
episcoporum, nescio quodnam privilegium Cyrilli esset,
ut Papa diceretur. Verius est quod scribit Theodorus
Balsamo in nono Canone Photii. tit. octavo, Caelestinum con-
cessisse Cyrillo, ut in sacris Missarum solemnis more Ro-
mani Pontificis Phrygio uteretur, quo antea eo tempore
semper vsi sunt Episcopi Alexandrini. Idem autem erat
Phrygium, quod alio nomine dicitur Galium: quo plena
potestas Archiepiscoporum significatur, quodque Archi-
episcopis tanquam plenae potestatis insignie Romanus
Pontifex conferre consuevit. Cum autem cuius temporis
vsus obtinisset, ut Papae nomen Romano Pontifici tan-
tummodo tribueretur, & Schismatici illud sibi inuidia, &
odio ipsius Romani Pontificis facta superbo vendicarent,
Gregorius VII. anno salutis millesimo septuagesimo ter-
tio, sui vero Pontificatus anno tertio 6. Kalend. Martii, In-
dictione 13. Romae Synodum habuit aduersus Schmaticos:
vbi inter alia plura constituit, ut Papae nomen vni-
cum esset in vniuerso Christiana religionis orbe, nec lice-
ret alicui se ipsum, vel alium, praeterquam Romanum Pon-
tificem, eo nomine appellare. Haec in registro Epistol.
Gregorii VII. in Bibliotheca Vaticana asseruatur, vbi e-
iusdem Synodi conscripti Canonis continentur. Graeci
hunc ipsum morem seruant, ut Papam appellant roma-
num Pontificem, & ipsum eo nomine temper intelligant,
ut apparet ex scriptis Nicetae Coniati. refertur non-
nulli, ex Paulo Diacono in historia Longobardorum lib. 4. ca-
pit. 36. tempore Caroli Magni, Constantinum Imperato-
rem Constantinopolitanum, & Patriarcham eiusdem Vr-
bis inter se constituisse, ut Romanus Pontifex, Papa dice-
retur; & Constantinopolitanus Episcopus, Oecumenicus
Patriarcha.

Secundo quaeritur, Quibus nominibus Romanus Pon-
tifex fuerit communi vsu, & consuetudine vocatus? Scien-
dum est, ex iam dictis Romanum Pontificem, & esse Ro-
manae Urbis Episcopum, Clerum, & populum habentem,
& Archiepiscopum Suffraganeis quibusdam Episcopis
praesidentem, & Occidentis Patriarcham, & summum to-
tius ecclesiae Catholicae caput, videlicet Pastorem, & Prae-
sulem. Tanquam Urbis episcopus, habet Romae generalem
Vicarium, qui est vnus de Cardinalibus. Tanquam Archi-
episcopus habuit olim, ut suae ditioni subiectos octo epi-
scopos Urbis vicinos, postea septem, nunc sex duobus epi-
scopatibus cum aliis coniunctis: Et hi sunt sex episcopi
Cardinales. Et quo tempore Longobardi in Italiam irruer-
unt, quatuor tantum in Italia Archiepiscopi recensere-
bantur, Romanus nempe, Mediolanensis, Aquileiensis, &

Rauennatensis, teste Sigonio libr. 1. de Regno Italia. ut Patriar-
cha Occidentis, praefuit Romanus Pontifex omnibus Ar-
chiepiscopis, & Primatibus per Italiam, Galliam, Germani-
am, Angliam, Hungariam, Poloniam, Suetiam, Norue-
giam, Hyberniam, Hispaniam, Numidiam, Carthagi-
nem, & Africam, constituit: vt vero est totius ecclesiae Ca-
tholicae Antistes, omnibus ecclesiarum episcopis, Archiepi-
scopis, Primatibus, & Patriarchis praefuit, & iura dat. Hinc
fit, ut ad intelligenda multa, quae in Canonibus ecclesiasti-
cis, Conciliis, ac Patribus dicuntur, necesse sit: has omnes
potestates in vnum Romanum Pontificem coactas, & pe-
discernere. Quaedam enim de ipso traduntur tanquam
Vrbis episcopo: nonnulla tanquam de Archiepiscopo,
quaedam tanquam de Occidentis Patriarcha a ceteris
quatuor praecipuis Patriarchis, Constantinopolitano, A-
lexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano in iurisdic-
tione, ac potestate distincto: nonnulla vero de eo dicuntur, tan-
quam de summo totius ecclesiae praefule, & Christi Vica-
rio, ut suo loco dicemus. Deinde Romanus Pontifex pri-
scis etiam temporibus vocatus est Sanctissimus, Beatissi-
mus, & Dominus noster: Chalcedonense Concilio Patres
saepè Leonem primum Sanctissimum, & Beatissimum ap-
pellarunt. Concilium episcopi coactum supra commemoratum,
Hormisdam papam, Dominum nostrum vocauit.

Porro Sanctissimus & Beatissimus, nomen est tribu-
tum ratione muneris, officii, potestatis, & dignitatis, quia
Rom. Pontifex est Christi Vicarius, quamuis huiusmodi
nomina Leoni I. ceperint tribui tanquam praefuli cui-
dam, vitae & morum integritate Sanctissimus, & magna
praedicatione, commendationeque dignissimus. Postea ve-
ro sunt ea nomina retenta ratione muneris & officii, quod
Pontifex gerit. Simili prope ratione Christianissimi no-
men vni Francorum regibus, duci cepit, eo quod Christi fi-
dem & religionem egregie tuerentur, quod quia alii et-
iam successores praestiterunt, quasi haereditarium mansit
in Francorum regibus: sicut & Catholici nomen in regi-
bus Hispaniae, ob Fidei Catholicae patrocinium. Grego-
rius vero primus, honorificis nomina humilitatis studio
recusans, & fugiens, seruus seruorum Dei, vocari voluit.

Tertio quaeritur, an Oecumenici & vniuersalis epi-
scopi, vel Patriarchae nomen vere, & proprie pontifici Ro-
mano, dari iure possit? duo hic quaeruntur. Vnum est, an
huiusmodi nomen Romano Pontifici vere tribui queat?
Alterum est, Vndenam Patriarcha Constantinopolitanus
hoc sibi nomen vendicari? Sciendum est, tempore Pelagii
Secundi, ut constat ex Gregorio lib. 4. Epistol. 36. & ex Epistola
ipsius Pelagii secunda tom. 2. Conciliorum ortam fuisse con-
trouersiam inter ipsum, & Ioannem Episcopum Con-
stantinopolitanum, hic enim sibi Oecumenici episcopi &
Patriarchae nomen arrogabat, cui Pelagius Secundus ve-
hementer obstitit: ac deinde his & controuersia per ali-
quot saecula durauit, scilicet vsque ad Leonem Nonum,
pontificem Romanum. Tempore Gregorii primi, episco-
pus Constantinopolitanus seipsum Oecumenicum epi-
scopum & Patriarcham vocabat, quem etiam propterea
Gregorius magnopere reprehendit, ut constat ex lib. 4. E-
pistol. 32. 36. 38. & 39. & libro septimo, Epistola trigesima, In-
dictione prima ambo Pontifices illi, Pelagius inquam, & Ge-
gorius contendebant non solum episcopum Constanti-
nopolitanum Oecumenicum, hoc est, vniuersalem vel
Generalem dici non posse, sed nec alium quemlibet eccle-
siarum Antistitem. Immo nec Romanum pontificem sibi
hoc nomen assumpsisse. Idque vnico hoc illi argumento
colligebant: nam si vnus episcopus Oecumenicus dica-
tur, consequitur, ut ipse solus sit episcopus. Sicut enim
Oecumenicum Concilium tantum est vnus: nec enim
eodem simul tempore duo esse possunt: nam si vnum est
Oecumenicum, alterum tale esse non potest, & vnus est
mundus, qui vniuersum, aut vniuersitas vocatur, vnus solus,
qui est generalis luminis causa: vnus Deus, qui est gene-
ralis rerum omnium dominus. Sic si vnus vniuersalis epi-
scopus diceretur, is esset generalis omnium Antistes, & ef-

ser vnus, & omnium primus, & summus. Pari ratione vna sola est generalis ecclesia, quæ vna cunctas ecclesias coe- cec & continet.

Hæc controuersia multis sane negociis fauisset. Primo, quia supradicti Romani Pontifices videntur negasse Romanum episcopum posse dici Oecumenicum; cum tamen vere & proprie sit totius ecclesiæ Catholice Præful. Deinde, quia etsi vnus Oecumenicus Episcopus dicatur, non impedit, quo minus sint alii ecclesiarum episcopi: & tamen præfati Pontifices voluerunt, si vnus esset Oecumenicus, cæteros dici episcopos non posse. Postremo, quia quimus Pelagius & Gregorius diu, & multum obstiterunt, Patriarcha tamen Constantinopolitanus obtinuit, vt Oecumenicus Episcopus aut Patriarcha vocetur.

Gregorius libr. 4. Epist. 36. de hac tota questione sic ait: *Ante hos annis octo, sancte memoria decessoris mei Pelagii tempore frater, & Coepiscopus noster in Constantinopolitana Vrbe ex causa alia occasione querens Synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est: quod mox idem decessor meus, vt agnunt, directis litteris, ex auctoritate Sancti Petri Apostoli, eisdem Synodi acta cessauit. Hæc ille.*

Porro Episcopi Pelagii, vt habetur tomo secundo Conciliorum, sic habebat: *Vniuersis Episcopis illegitime conuocatis, Pelagius: Relatum est ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vsque ex hac sua presumptione ad Synodum conuocare Generalem; cum Generalium Synodorum conuocandorum auctoritas Apostolica Spiti, Beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate susta non fuerit. Quapropter quidquid in prædicto vestro Conuenticulo, quia Synodus taliter præsumpta esse non potuit, statuis ex auctoritate sancti Petri Apostolorum principis, & Domini Saluatoris vocis, quæ Beato Petro potestas em ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit. Quæ etiam potestas in successores eius indubitanter transit: Præcipio omnibus quæ ibi statuis, & vana, & cassata esse, ita vt deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Et post: Prædecessores vero Ioannis, & ipse Ioannes non fecerunt, sed seipsum epistolam atque libellos propria manu subscripserunt: quia hæcenus in Archiepiscopo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis, & chirographis eorum voborati, habentur integri. Deinde subiungit: Nullus Patriarcharum profano vniuersalis vocabulo vnquam utatur; quia si summus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Charitas vestra neminem vnquam in suis Episcopis vniuersalem nominet.*

Hæcenus Pontifex Eodem argumento vitur Gregorius libr. 4. Epist. 38. ad hunc modum scribens: *Vt de spectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et post: Ne si sibi pontificatus gradus gloriam singularitatis arripet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Epist. 36. Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris detrahitur. Gregorius, & Pelagius vniuersalis nomen ita acceperunt videtur, vt significent id quod est vnum, primum, & summum. Et quod cætera omnia eiusdem generis sua vniuersitate complectitur, & est cæteris omnibus superius, ac propterea est vnum, ac solum. Sic dicitur vniuersalis Ecclesia, sic mundus vniuersalis, sic Oecumenicum & vniuersale Concilium. Dices, Episcopum Constantinopolitanum vniuersalis nomen non sic acceperit. Esto, aiunt quidam; certe nomen quod sibi ille arrogabat, ad eum sensum alios traheretur; vnde non tam vsurpantis nomen, quàm inuidia vocabuli merito spectatur, & iure damnatur.*

Multi, multa de hac controuersia tradiderunt, & potius nominis quæstionem, quam rei esse dixerunt. Cæterum meo iudicio, rei est quæstio, non nominis. Neq; enim puto Pelagium, & Gregorium, & postea Leonem IX. tam acriter resistere voluisse, si nominis tantum quæstionem hæc esse censuissent.

Quare breuiter tota lis & controuersia hac ratione dirimitur. Verbum Græcum *oikoumenon* totum terrarum or-

bem significat: inde Oecumenicum idem est Græcis, quod vniuersale & generale. Oecumenicum Concilium, est vniuersale, aut generalis omnium Episcoporum Conuentus vnus, & summus. Oecumenicus Episcopus, est vniuersalis, aut generalis omnium Ecclesiarum præful. Qui ergo seipsum Oecumenicum Episcopum vocat, quamuis quidem non ea ipsa appellatione excludat cæteros Ecclesiarum Episcopos: vnum tamen ex duobus significat, vel eos esse inferiores, & sibi subiectos, vel se vna cum singulis episcopis in eorum Ecclesiis præesse: quorum vtrumque est absurdum: nam si primum, idem est Oecumenicus Episcopus, qui supremus, aut summus omnium Antistes. Et ob id duo Oecumenici præfules esse non possunt, sicut nec duo supremi aut summi Antistes, ita vt vnus sit cæteris omnibus superior, possunt quidem duo in vnoquoque genere esse summa per negationem, id est, quorum singulis nihil superius sit; sed non per affirmationem, id est, vt vnum quodque sit omnium supremum. Nam si duo sunt hæc ratione omnium suprema, necesse est, vt vnum sit etiam altero superius.

Quare Oecumenicum Concilium, idem est, quod supremum, ac summum, non quod alia eo inferiora non sint, sed quod ipsum sit cæteris superius. Eadem quoque ratione in Monachorum, aut Religiosorum Ordinibus dicitur vnus Generalis, siue sit Abbas, Præpositus, Magister, vel Præfectus. Sunt quidem & alii Abbates, & Præpositi certorum Monasteriorum: sed eo tamen inferiores, ipse autem est Generalis, quia est summus totius Ordinis Præfectus, & fieri potest, vt ipse vel nulli cœnobio præsit, vel vt certo etiam Monasterio præficiatur, quod sit veluti caput cæterorum cœnobiolorum. Si vero Oecumenicus episcopus dicatur generalis Antistes, qui sit omnium Ecclesiarum præful & pastor, & is vnus esse dicatur, sequitur, vt cæteri Episcopi non sint, sed tantum eius adiutores. Merito igitur magni illi Pontifices Pelagius & Gregorius Constantinopolitanum Episcopum reprehendebant, vt qui Oecumenici Episcopi nomen sibi vendicabat. Cæteri, aiebant, non erunt episcopi, si vnus est Oecumenicus, perinde ac si dixissent: si hoc tibi nomen adscribis, cæteros facis episcopos te inferiores, & tibi subiectos, vel tuos duntaxat adiutores. Et hoc est, quod Episcopus Constantinopolitanus Imperatorum potentia, & fastu superbo suffultus, volebat se nimirum esse Episcoporum & Patriarcharum primum atque supremum. Et processu temporis Episcopi Constantinopolitani Imperatorum potentia, & Reg. & Urbis magnificentia & splendore elati, cæterarum Ecclesiarum, & episcoporum consecrationes ad se reuocare conati sunt: ac post Photium Patriarcham Constantinopolitanum, Romanis Pontificibus conuenientibus illud vsurpati coeptum est, vt ambo episcopi, Romanus scilicet & Constantinopolitanus à Græcis Oecumenici, id est, vniuersales dicerentur. Hic quidem, Oecumenicus in Oriente; ille vero, Oecumenicus in Occidente. At cæteri Patriarchæ tres, Alexandrinus, inquam, Antiochenus, & Hierosolymitanus, vocantur episcopi & Patriarchæ præcipuarum sedium, videlicet Alexandria, Antiochiæ, & Hierusalem. Vnde post Photium, ita scribere consuevit Episcopus Constantinopolitanus: *Ego N. misericordie diuina Archiepiscopus nouæ Romæ Constantinopolis, & Oecumenicus Patriarcha.*

C A P. V.

De Romani Pontificis electione.

PRIMO quaeritur, *Quænam ad creationem Romani Pontificis requirantur?* Respondeo, multa: Primum, est electio, quod si is qui in Pontificem eligitur, Episcopus non est, electioni succedit consecratio, quia Episcopus creatur. Et quia Romanus Pontifex Metropolitanum superiorem non habet, ab Episcopis Romæ vicinis consecratur. Vnde eum episcopus Hostiensis consecrat. At vero si is qui eligitur, episcopus ante iam erat, nulla electioni consecratio succedit. Nam eo ipso quod

summos

summus Pontifex e. etat, qui episcopus ante iam fuerat, potestatem ordinis superiorem non recipit, sed iurisdictionem longe maiorem. Nec post electionem, Romanus pontifex vlla indiget confirmatione, quia superiorem nullam agnoscit, cuius auctoritate confirmetur. Quare Glossa in cap. super data. de reg. iur. recte annotauit: *Romani Pontificis sola electione à duobus partibus Cardinalium suffragium habentium facta, plenam iurisdictionis potestatem accipit; electioni autem & consecrationi, quando illa quoque est necessaria, succedit Romani coronatio Pontificis, & deinde coronatus Pontifex Lateranensis Ecclesie, cuius est in urbe Episcopus, possessionem nanciscitur.*

Porro in more positum est, sicut ibidem Glossa notauit, ut Romanus Pontifex post electionem, ante consecrationem, & coronationem, non scribat pontificatum in litteris datis, nec se simpliciter episcopum nominet, sed tantum sic: *Data suscepti à nobis Apostolatus officio, anno: & tunc adscribitur annus, & locus. Et scribitur: N. Electus Episcopus Romanus.* post consecrationem vero & coronationem scribit pontificatum in datis litteris, & se simpliciter episcopum appellat. Vnde quod prius scribebat: *Data suscepti à nobis Apostolatus anno,* scribit: *Data pontificatus nostri anno:* Hec consuetudines sunt, non iuris. Nam ut constat ex cap. *ubi periculum. De elect. in 6. Item post electionem Romanus Pontifex plenam iurisdictionem consequitur, nec est quod aliquid iure expectetur.*

In iure civili dies quo Imperator coronabatur, dicitur ortus Imperii, ut colligitur ex l. *ult. in fine. C. de Quadrienni prescrip. ubi habetur: iuxta diuino Imperiales suscepimus insulas.* An vero electus Imperator non suscepto diademate dici possit Imperator, & an ius & potestatem habeat Imperii administrandi, non est huius loci. At quis non vocatur Archiepiscopus, nisi accepto pallio, cap. *Nisi. de auctoritate & usu pallii.* Sed in Romano Pontifice post electionem legitime factam, ad plenam iurisdictionem nihil amplius requiritur. Et ideo priuilegia ab eo concessa locum, & vim habent, ut rata, & firma.

Secundo quaeritur, An papa constitutionem condere queat de formula & ratione eligendi futurum Romanum Pontificem? Respondeo, cum Cardinali Albano tractat. de Cardinali. q. 31. ex communi omnium sententia in cap. *Licet. De Elect. id posse, quoniam talis formula non est iure diuino constituta, sed Canonico; at ius Canonicum papa potestati subiicitur: ergo ea formula electionis pontificis, potest Romani Pontificis constitutione mutari, minui & restringi, & hactenus varia & diuersa circa Pontificis electionem decreta legitime fuisse constituta, ut ostendit cap. *In nomine, distinct. 23. & cap. Licet. de elect. & cap. ubi periculum, eod. tit. in 6. Clem. Ne Romani. de elect. & tandem à Iulio II. Paulo IV. & Pio IV. sunt de eadem re conditae variae constitutiones.**

Tertio quaeritur, An Rom. pontifex possit successorem nominare & eligere? De hac quaest. prater Doctores in c. *Apostol. 8. q. 1. lege Zabarellam Clem. 1. de elect. §. 1. q. 5. Turrecrom. in sum. De ecclesia lib. 2. c. 51. August. Triumphum in sum. de potestat. Eccl. q. 2. ar. 3. Ludouicum Gomez, in Regula Cantellaria de infirm. resignant. q. 1. §. 2. item Turrecrom. dist. 23. c. in nomine q. 1. Cardin. Alban. de Card. q. 32. Dux sunt opiniones, quarum vna affirmat, ob eam causam, quod papa iure tantum Canonico successorem eligere prohibetur: at potestati Romani Pontificis ius Canonicum subiicitur. Vnde, ut quast. proxima diximus, potest Papa constitutionem condere de forma & ratione in Romano Pontifice eligendo seruanda: ergo potest etiam successorem nominare: neque enim est potior ratio cur possit vnum, & non alterum. Hac accedit, quod Petrus Clemensem in suum successorem elegit; quod utique non fecisset, si ita facere iure diuino, & Christi institutione prohibitus fuisset. A tercia sententia negat, id facere posse pontificem, sic Glossa in §. *Hic omnibus. 8. q. 1. & Ioan. And. in c. licet. de elect. Archid. in cap. Si transiit, dist. 79. Abbas in cap. accepimus de pact. Ioan.igna in Clem. ne Romani. de elect. Fel. c. 1. de consuet. Quod probant, quoniam**

id esset in perniciem ecclesiae. Si enim successio futuri pontificis in libero Papae viuentis arbitrio, iure sanguinis, non ratione morum & vitae, successor eligeretur, & ita multa in ecclesia incommoda & mala naterentur, ut et ipsa per se manifeste docet. Inter omnes conuenit, id iure Canonico prohiberi. Sed cum ius ipsum Canonice Roman. Pontifex, aut ex toto abrogare, aut ex parte mutare, mutareve queat, videndum est, an iure diuino, aut naturali, Rom. Pontifex ab eligendo sibi successore prohibetur. Nam si tale quid, aut natura ipsa prohibet, aut Christus Dominus interdixit, id facere non poterit, si minus, poterit. Totam igitur controuersiam in eo versatur, An sit diuino iure cautum, ne per ipsos successorem deligat? Ex recte factum Petri successorem nominantis & eligentis, maximo iudicio & argumento est, id non veruisse Christum: quamquam non desunt, qui sentiant, id esse iure diuino prohibitum, eo quod in cap. electionem, dist. 79. dicitur: *Electorem summorum Pontificum sibi Dominus reformauit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus & spiritalibus populis concesserit.* Mihi valde probatur quos Turrecrom. cap. in nomine. dist. 23. q. 1. ex sent. Paludani, de potestate Ecclesiae, ait Romanum Pontificem iure naturali prohiberi à successore eligendo. Quare existimo dicendum: id quidem iure diuino, & Christi institutione non esse interdictum: nusquam enim id in sacris litteris legitur veritum, aut improbatum, nec item arbitror tantummodo ius Canonicum prohibere, quominus Romanus Pontifex successorem nominet & creet: nam si id solummodo ius Canonicum prohiberet, possent illud Romani Pontifices abrogare. Sed ipso iure naturali videtur esse cautum, ne id vlla ratione fiat. Nam eo ipso quo Christus petrum suum Vicarium creauit, & voluit in eadem potestate Romanum Pontificem succedere, liberum ecclesiae reliquit, ut hoc, aut alio modo pontifex eligeretur. Hac tamen libera potestate à Christo relicta, consequitur, ut ipsa naturalis ratio praecipiat, ne Romanus Pontifex successorem eligat, cum illa dixerit innumera pene mala in ecclesiam ortura, si papa id fecerit. Quare etiam si aliquis Rom. Pontifex sibi successorem creasset, nihil sane fecisset; nam post eius obitum ecclesia nequaquam permisisset: generalis enim totius Reipublicae Christianae pax, & tranquillitas perturbaretur, ac proinde alium in demortui Pontificis locum ecclesia subrogaret, teste Gomez. quast. 1. in Regula de infirm. ref. Maria. Socinus scripsit, posse Romanum Pontificem legem ferre de successore eligendo. Potest quidem condere legem de formula & ratione eligendi pontificem, verum legem, ut Pontifex successorem nominet & eligat, ecclesia non recipiet.

Quarto quaeritur, An Romanus Pontifex possit alteri facultatem concedere, ut in ipsius locum possit successorem deligere? Ratio dubitandi est, quoniam ex cap. *Hadrianus Papa, & ex cap. In Synodo, dist. 63.* colligi videtur id potestatis & iuris fuisse ab Hadriano Pontifice Carolo Magno concessum, & postea à Leone in Othone confirmatum.

Sed communis est, ut testatur Cardinalis Abbas de Cardin. q. 33. omnium sententia, nec hoc secundum esse in pontificis potestate, quoniam si per se, vel per alterum id faciendi ius & potestatem haberet, maxima & plurima mala ecclesiam diuenerent: Aliud vero est, cum Cardinales compromittunt, & vnum veluti arbitrum sumunt, qui Pontificem eligat: tunc enim is, qui eligeretur, communibus omnium suffragiis, & communi consensu omnium nomine crearetur Pontifex. Secus vero esset, cum Romanus Pontifex per se, vel per alterum successorem crearet: tunc enim sanguini potius, quam vitae & moribus eiusque ecclesiae & successio tribui videretur.

Nec id quod obicitur, ex Hadriani & Leonis facto, quidquam nobis obest: illud enim est factum, & Concilio Generali approbante; & proinde communibus Cardinalium suffragiis; & maxima ex causa, videlicet ad recondendam debilitandamque nimiam Schismaticorum & Hetereticorum potentiam, qui Pontifices electos & digni-

tatis gradu deicere conabantur, & communem ecclesie pacem perturbabant: ac propterea facultas nominandi, & designandi, aut approbandi electam Canonice, & legitime pontificem, data est ad tempus Imperatoribus, ut quos ipsi nominassent, designassent, aut approbassent iam electos à Clero Pontifices, ab aduersariis tuerentur atque defenderent. Nec item data est illis potestas, ut viuentem Pontificem successorem nominassent, aut designassent, sed ut Pontificem alium post obitum vnus ipsi designassent, aut petissent, aut approbassent.

Quinto quaeritur, An possit Romanus Pontifex forte deligi? Ratio quaestiois est, quod fors in Magistratibus deligendi nil mali habere videtur. *cf. fors. 26. q. 1. Matthiam enim forte electum fuisse, Sacrae litterae testantur. Ad. 1. & habitus in c. Clero. dist. 21.* Si inter duos item de pontificatu lis, & controuersia fuerit, ea poterit forte dirimi, ut tradidit Cardinal. in *cons. 150. ad finem*, cuius sententiam sequitur Felinus in *cap. Capitulum, ad finem, de rescript.* Accedit, quod ius diuinum aut naturale, huiusmodi sortem non prohibet.

Exploratum & certum est, electiones Magistratum in spiritualibus non posse forte committi, id iure Canonico vetante, *cap. vlt. de for. lit. & ibi Glossa*. quare tota quaestio eo reuocatur, An ius diuinum, vel naturale prohibeat, quo minus Romanus Pontifex forte eligatur? Nam si ius diuinum, vel naturale non vetat, Romani Pontificis auctoritate fieri poterit, ut id forti committatur. At enim ratio naturalis videtur: praescribere, ne forte Romani Pontificis electio fiat: est enim caeca fors, incerta, ac denique periculosa: quare posset aut ineptus, aut minus idoneus, aut plane indignus eligi.

Dices, Communibus Cardinalium suffragiis possent aequae digni & idonei duo, tres quatuorve eligi, quorum vnus deinde forte praeferreretur? Respondeo: nec adhuc ea eligendi ratio libera malis omnibus esset, dissidiis videlicet, schismatis, & id genus aliis incommodis non minimis pareret. Aliud vero esset, si inter duos idoneos & dignos, aut tres, de pontificatu lis & contentio oriretur, tunc enim post electionem Cardinalium suffragiis factam, orta inter eos lis & controuersia posset forte componi ac dirimi, si nullum aliud remedium commodius se offerret. *Albanus, de Cardin. q. 38. ex Cardinali, & Felino.*

Sexto quaeritur, An Rom. Pontifex eligi debeat ex ipso Collegio, & numero Cardinalium? *Sotus libr. 4. de iustitia, q. 6. ar. 2. ad 5. ait, iure constitutum non esse, ut ex Collegio Cardinalium Pontifex crearetur: imo potius iura oppositum sanxerunt: nam in c. In nomine, dist. 23. sic habetur: Eligatur autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus; vel si de ipsa non inuenitur, ex alia assumatur.* Ex quo (inquit Sotus) sic, ut possit Pontifex creari, qui in numerum & Collegium Cardinalium adscriptus non sit, sua enim Canonice id fieri non prohibet: ac ita aliqui sunt interdum ad Pontificatum electi, qui non erant Cardinales. Quia tamen in Cardinalium numerum adscribi & cooperari non debent, nisi ruri morum & vitae integritate, & doctrina splendore clarissimi; ideo ex eo Collegio Pontifex merito deligitur.

Ceterum contra Sotum facit, quod habetur in *cap. Oportebat, dist. 79. ex Stephano III in Concilio habito in Basilica Constantiniana*, ubi dicitur: *Oportebat ut hac sacrosanctia Domina nostra Romana Ecclesia, iuxta quod à B. Petro & eius successoribus institutum est, rite ordinaretur, & in Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus presbyteris, aut Diaconis consecraretur & in cap. Nullus vnquam, eadem distincta ex eodem Stephano, dicitur: Nullus vnquam Laicorum, neque ex alio ordine presumat, nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus, aut presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem promoueri.* Immo etiam contra Sotum facit, quod refertur in *c. In nomine, dist. 23.* Ibi enim etiam dicitur: *Eligatur autem, de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non inuenitur, ex alia assumatur.* Nullus igitur extra numerum Cardinalium est in Pontificem eligendus, nisi cum in ipso Cardinalium sacro Collegio nemo reperitur idoneus.

At si suffragiis duarum partium Cardinalium Pontifex aliquis creatur, extra eorum numerum & Collegium delictus, opponi & obici non poterit, quod non sit ex ipso purpuratorum patrum Collegio assumptus: non quod ex eo deligi non deberet; sed quia in *c. Licet, de elect.* statutum est, ut nihil possit obici, cum à duabus partibus Cardinalium Pontifex creatur; *ut statim dicemus quae seq.*

Septimo quaeritur, An electio Romani pontificis vitari, & tanquam praeter ius facta oppugnari queat? in *cap. licet, de elect.* decretum est, ut qui duarum partium Cardinalium suffragiis electus fuerit, is absque vlla exceptione ab vniuersali ecclesia Romanus Pontifex habeatur. Vnde Glossa in *eo cap. explicans illud: absque vlla exceptione*, sic habet: *Speciale mesi Romani Pontificis electioni ut nulla exceptio admittatur.* Porro exceptio, est actionis exclusio, *l. exceptio. ff. de exceptionib.* cum reus aduersus actionem se à quibusdam ei obiectis defendit. Item cum aliquid ei qui petit opponitur, quo minus illud assequatur, exceptio dicitur.

Ergo quaestiois est dubia, An contra electum suffragiis duarum partium Cardinalium possit opponi & excipi crimen haereticum, quando est notorium & manifestum? Ante Concilium Lateranense sub Iulio Linchoatum, & sub Leone X absolutum, duae fuerunt sententiae. Glossa *eo, quam paulo ante citauit* loquitur affirmat; idque colligitur ex *c. si Papa, dist. 40.* Nam sicut Rom. Pontifex, si manifestus sit haereticus, accusari potest, sic etiam potest contra eum iam electum opponi, & excipi crimen haereticum notorium; haereticus enim cum extra ecclesiam sit, eius caput esse non potest. Deinde, quia in *Regula: Qui ad agendum, de regul. iuris in sexto.* [Qui ad agendum admittitur, ad excipiendum multo magis est admittendus.] Ergo si pontifex haereticus accusari potest, multo magis ei cum eligitur, potest haereticum crimen opponi.

At Innocentius, & Ioan. Andr. in *c. licet, de elect.* fatentur quidem pontificem haereticum accusari posse: sed negant, contra eum postquam à duabus partibus Cardinalium electus fuerit, posse haereticum crimen opponi: qui eo vnico argumento mouentur, quod in *cap. Licet, aperte dicitur, electum à duabus partibus Cardinalium, vne vlla exceptione esse pro pontifice habendam.* Tum etiam, quia exceptio criminis opponitur perentibus actionem: & ius, *cap. cum dilectus, de ordine cognitionum.* Sed electus à duabus partibus Cardinalium, nihil petit; cum iam sic ius plenum consecutus. Ceterum verior est prima sententia, cui etiam Abbas, Goffredus, Francus, & alii assentiuntur in *c. licet, de elect.* sic etiam August. *de potestat. eccl. q. 2. artic. 5.* De qua te dubitari non potest. Nam ex Constitutione Iulii II. in *Conc. Lateranensi, sess. 5. quae incipit: Cum tam diuino*, plane intelligitur contra electum posse haereticum crimen excipi.

Deinde quaeres, An electio Romani pontificis vitari possit ex eo, quod fuerit simoniae labe infecta? Ante Iulium II. communis fuit pontifici iuris inter precum sententia, cum vitari non posse: hoc est, contra electum à duabus partibus Cardinalium non posse simoniae crimen obici, id est, non potest excipi, simoniam in electione fuisse commissam, quia in *cap. licet, de elect.* in vniuersum dicitur: *Electus à duabus partibus Cardinalium, si vlla exceptione, à rata Ecclesia Pontifex habeatur.* At cum ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: ergo simoniae exceptio admitti non potest. Sed certe nouo iure pontificio constitutum est, ut sicut haereticum crimen, ita & simoniae, contra electum possit opponi. Extat enim constitutio Iulii II. anno salutis 1505. edita, quae incipit: *Cum tam diuino*, ubi sic habetur: *Si Papa eligatur per simoniam: nãpe aliquo Cardinali quomodolibet suffragium ferente, data, vel accepta, vel promissa pecunia, vel bonis cuiuslibet generis, castris, officiis, beneficiis, promissionibus, vel obligationibus per se, vel per alium praeposito Pontifice non habeatur.* Item: *etiam si duarum partium suffragiis, vel vniuersi Cardinalium concordia, etiam per vnam assumptionis concorditer nemine discrepante, & etiam sine*

seruatio facta sit electio, nulla existat, & nihil in re electus acquirat, siue in spiritualibus siue in temporalibus: & contra electionem per simoniam opponi criminis exceptio possit, sicut contra electionem potest opponi vera & indubitata heresis, & electus simoniace à nullo Papa habeatur: quinimo Cardinalis, & alio quouis honore, dignitate, beneficio, & pensione, absque ulla alia declaratione priuatus existat, & perpetuo ad predicta inhabilis. Nec item hac electio ullo tempore consuefcit per adorationem & obedientiam, & omnibus liberum sit eius mandata recusare: Et Cardinalibus licet impedire, quominus Pontificiam dignitatem assequatur. Et deinde decorat ille Pontifex, Cardinales per simoniam Pontificem eligentes, priuatos ex se re omni honore, dignitate & beneficiis, nisi ab eo crimine respicientes, reliquis qui in simoniam non consenserint, sese adiunxerint, infra octo dierum spatium ab eo tempore, quo fuerint ab illis admoniti priuato, vel publico edicto. Quod si ad saniorum mentem redeuntes reliquis abhaferint, tanquam restituti ad pristinos honores, dignitates, & beneficia, & ab omnibus poenis Ecclesiasticis absoluti habeantur. Hæc ex constitutione.

Et certe dubitari non potest, quin huiusmodi constitutio & Lex condici poterit: nam licet Romanus Pontifex postquam est legitime electus & creatus, iuris Canonici poenis, ac legibus non teneatur obstrictus; attamen, ut ante iam dixi, ipsa electionis forma Canonico iuri subiicitur, quo cauetur, ne his, aut illis malis artibus eligatur, ut conlat ex Hermanno Contraſto Monacho in *Chronico de Leone Ostiensi in historia Cassinensi*, lib. II. cap. 80. & 82. & Othone Fisingensi lib. 60. cap. 32. & 33.

Rogabis etiam, An contra electum à duabus partibus Cardinalium exceptio alicuius alterius criminis obiecta locum habeat? In cap. *In nomine*, dist. 24. statutum est in hunc modum: Si quis contra hoc Decretum nostrum Synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel presumptionem, aut quolibet ingenio electus, ordinatus, inthronizatus fuerit, perpetuo anathemat eum suis auctoribus, fauoribus & sequacibus à sancta ecclesia separatus existat, sicut Antichristus & inuisor, & destructor totius Christianitatis. Sic ibi Abbas in cap. *licet de elect.* nomine seditionis intelligit violentiam; presumptionis vero, ambitionem; ingenium autem fraudem & dolum. Vnde ex eo cap. habemus, contra electum opponi posse violentiam, aut crimen ambitus, aut fraudem & dolum, si quis hęc malis artibus sit in Pontificem electus. Sed postea addit ille Auctor, hæc excipi & opponi non posse, ex cap. *licet de elect.* contra electum à duabus partibus Cardinalium. Itaque, ut in cap. *licet*, fuerit id, quod in e. *nomine*, ante sanctum erat, testificum, atque correctum.

Quæres insuper, An in vniuersum omnis exceptio contra electum à duabus partibus Cardinalium excludatur? Respondeo cum Abbate in eo capite, si in exceptione quæ opponitur, negatur hunc esse electum à duabus partibus Cardinalium, ut quia negatur aliquos eorum esse Cardinales, hæc exceptio proculdubio locum habet: velut si statutum omnem exceptionem contra scripturam publicam submoueret, admitteretur nihilominus exceptio, qua negatur hanc esse scripturam publicam. Similiter, si statutum omnem exceptionem contra sententiam excluderet, nihilominus iure posset opponi, sententiam fuisse latam ab eo, qui non erat iudex. Deinde, si electio sit à duabus partibus Cardinalium facta, potest iure oppugnari exceptione, quæ est iuris naturalis, vel diuini, ut si electo oppugnatur, eum vulgo putari & censeri virum, reuera tamen feminam esse; vel eum esse mente captum, aut infantem, vel hæreticum manifestum: hæc enim iure naturali, vel diuino impediunt, quominus Pontifex creati quis possit. Amens enim, vel infans in electionem consentire non potest, nec mulier capax est Pontificiæ dignitatis & iuris. Nec item Hæreticus qui extra ecclesiam est, potest in Pontificem eligi. Si vero exceptio tantummodo sit eorum, quæ iure Canonico Pontificatum impediunt, nulla exceptione uti possumus; ut si oppugnetur electio, quod asseratur, electum esse licitum, aut non esse

facris ordinibus initiatum, aut esse per saltus ad Ordines promotum, aut anathemati subiectum, aut aliquid simile.

Si demum quæras, An exceptio admitti debeat quæ opponitur, electionem quidem esse factam à duabus partibus Cardinalium, sed per metum in constantem virum cadentem? Respondeo hanc quæstionem ex illa altera quæstione pendere, An electio Romani Pontificis per metum facta sit ipso iure irrita & inanis. An vero reuocanda quæstionem superius etiam tractaui, hæc lib. 2. q. 6. Hæc fuit occasio, & origo schismatis, quod plurimum ecclesiam vexauit post electionem Urbani VI. Cardinales enim non dubitarunt dicere, se metu Romanorum ciuium Urbani VI. elegerit: unde alio se se conferentes, nouum Pontificem creauerunt, quem vocauerunt Clementem VI. Respondeo eum Innocentio, & Abbate, in cap. *licet de elect.* electionem metu factam, iure quidem antiquo irritam, & inane non esse, sed merito reuocandi solere & debere: nam metus absolute & simpliciter voluntarium non tollit; ac proinde electio per metum facta voluntaria simpliciter censetur. Sed quia metus libertatem in eligendo minuit; ideo admittitur exceptio metus, qua opponitur electionem esse per metum factam. Addit Panormitanus non quamlibet electionem oppugnari, quod per metum sit facta: neque enim cum metus inuitur, ut ex certo genere hominum vnus eligatur, oppugnari electio, hæc enim est libera: sed cum metus inuitur, ut eligatur expressim & nominatim hic, & non alius: nam talis metus iustam admittit libertatem in eligendo. At iure nouo, ut dixi superius loco citato, in Concilio Constantiensi edito, sessione 39. nulla est electio Romani Pontificis per metum facta. Sic enim ait: Quod si forte electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in constantem virum, seu impressionem de castro fieri contingat, iam decernimus nullius efficacia & momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari, vel approbari. Non tamen licet Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille se electus forte renuntiat & recedat, donec per Generale Concilium, de electione illa fuerit iudicatum. Sic ibi.

Octauo quaeritur, An iure possit exceptio oppugnari electio, qua quis seipsum in Romanum Pontificem eligeret, compromisso Cardinalium in eum facto, ut quem velit Pontificem, nominet & eliget? Hanc quæstionem breuiter attigi, hoc libro, cap. 2. quæst. 8. Ea præteritis est instituta.

Certi iuris est, in aliis magistratuum inferiorum electionibus, nihil facere qui seipsum eligit, ut ait Glossa, cuius sententia est communi consensu recepta, cap. *Qui Episcopatum* 8. q. 1. & cap. *Cum in iure de elect.* Nam, ut dicitur in cap. *Cum ad nostrum de instit.* & cap. *per nostras de iure patron.* & l. *Prator ff. de Tutor. & Curator datis*, inter dantem & accipientem necesse est, ut sit distinctio: nec potest quis, quamuis sit ecclesie patronus, seipsum nominare, eligere, offerre, aut instituire.

Quare vis quæstionis eo nititur, An si quis seipsum in Romanum Pontificem eligat ex compromisso omnium Cardinalium facto, electio valeat? Et an iure queat exceptio oppugnari, quod seipsum elegerit nam in cap. *licet de elect.* dicitur, nullam exceptionem esse admittendam, si quis fuerit à duabus Cardinalium partibus electus: ergo idem iuris est, si quis elegerit ex compromisso omnium Cardinalium. Ex altera parte videtur posse huiusmodi electionem exceptione oppugnari, quod compromissum ea lege & conditione factum esse intelligatur, ut arbitrum, non seipsum eligeret, ac proinde in illa electione defuisse Cardinalium consensum; cum crimen ambitus esse videatur seipsum eligere; & vitium hominis plus iusto sibi arrogantis, se pontificatu cæteris digniorem iudicare.

Atque in hanc ego sententiam magis propendo, nisi in casu, quo id ei liceret ex forma expressa compromissi. Quo pacto crediderim electionem Ioannis 21. qua

seipsum elegisse dicitur, ratam & firmam habitam fuisse, tum quia id ei licuit ex forma expressa compromissi, tum quia postquam seipsum nominavit, Cardinales quoque carceri consenserunt.

Quæ Glossa in ca. Cum in iure, de elect. An si quis ex compromisso sit arbiter constitutus ad aliquem eligendum, & iuraverit se meliorem electurum, & ipse sit omnium optimus, debeat ratione iuraturandi seipsum eligere? Respondetur, in generali sermone etiam iureiurando firmato, eum qui loquitur, minime comprehendi, ac proinde interpositum iurandum, quo arbiter iuravit, se electurum optimum, intelligi, eo, qui iurat, excluso, & sic locum in eo nullum habere.

Nono queritur, Penes quos fuerit olim potestas Romanum Pontificem eligendi? Hanc questionem iam supra diluimus, cum de Cardinalibus ageremus, cap. 1. q. 2. §. 4.

Decimo queritur, Quid sit dicendum, quando Cardinales qui in Conclavi sunt, iureiurando promiserint, ut qui eorum fuerit ad Pontificiam dignitatem euectus, Cardinales create, aut Ecclesie bona in emphyteusim, aut se ad id dare, aut negotia graua & ardua agere & expedire non possit, nisi iure Cardinalium Senatu annuente, An Pontifex postmodum electus, huiusmodi iureiurando teneatur? Ratio questionis est, quia iurandum ubique sine salutis discrimine seruari potest, seruandum est, cum contingat, de iureiurando, cap. Licet, eodem tit. in 6. Respondetur, ex communi omnium sententia, ut testatur Cardm. Alban. de Cardin. q. 36. hoc iurandum Pontificem minime alligari, quia Pontificia dignitati & auctoritati derogat, aliqua ex parte: summam enim habet Maximus Pontifex iurisdictionem, ac proinde promissione ac iureiurando cogi non potest, ut sine Cardinalium consensu hoc aut illud non agat, expedit, atque constituat.

Nec obstat, quod obijcitur, nihil mali continere, hoc quod est, nulla negotia Pontificem absque Cardinalium consensu tractare: nam est id malum non sit, immo etiam expediret, Romanum tamen Pontificem ad ita faciendum, lege, conventionem, pacto, aut iureiurando obstringi non decet, sed liberum illi esse debet negotia perficere.

Vndecimo queritur, Quenam sit forma & ratio creandi Romani Pontificis? Respondeo hanc esse: in primis, Cardinales Conclau ingressi, diem integrum sequentem formandis legibus impendunt, ad bonam Romani Pontificis administrationem maxime necessarios: quibus eorum quisque subscribens, iureiurando promittit se illis obtemperaturum, si Pontifex factus fuerit.

His peractis, statim quodam die comitia prima indicuntur, & mane eius diei omnes conueniunt in Cappellam, ubi sacrosanctum Christi corpus asseruatur; & diuina Spiritus sancti sacra rite fiunt: quibus absolutis, suo loco sub sellis dispositis sedent, quique autem, quem in Pontificem eligere decreuit, in codicillo ante describit, & hunc suo annulo obsignat. Inde tres ex Cardinalibus ad altare ascendentes, videlicet Decanus, & Presbyterorum, & Diaconorum primi, calicem, in quo eo die sacra facta sunt, in medio altaris constituunt: & post hæc eodem ordine procedunt & reliqui, & ante altari in genua procidentes, codicillum singuli in calicem demittunt. Id autem postquam ab omnibus factum est, tres illi Cardinales quos dixi, calicem ipsum cæteris inferius confidentibus sublatum altius ostendunt, consistentes in subliliorum medio, vnde spectari & audiri a circumstantibus possunt: numerant mox codicillos, quorum ut conuenisse numerus cognoscitur, singuli à Decano aperiantur, & leguntur, ac Diacono proxime pronuntiandi traduntur. Patrum quisque papyrus tenens, ac pugillare, quem quisque eligit, chirographo annotat, & nullus ex Alexandri III. constitutione, pro Pontifice habetur, nisi qui duorum partium Cardinalium integris suffragiis fuerit creatus, qui numerus si ex codicillis impletur, tunc

Pontifex censetur electus: sin minus, liberum est cuique, quem voluerit Cardinalium non electum à se scripto, voce eligere: quæ eligendi ratio, Accessus appellatur. Ratum est, quem piam ex folis codicillis eligi: vocum accessio conficere totum negotium solet. Est alius quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur, cum duæ partes Cardinalium non expectato scrutinio, sed voce tenus, omnium consensu & voluntate quempiam ex Cardinalibus, tanquam Romanum Pontificem & salutant & venerantur.

C A P. VI.

De Renunciacione, qua Romanus Pontifex abdicat potest Pontificatu.

Primo queritur, An Romanus Pontifex pontificatu se abdicare possit? Ante Bonifacium Octauum, & Constitutionem eius, qua extat in cap. 1. de renunciacione in sexto, controuersa est agitata, num Papa Pontificiam dignitatem & potestatem deponere posset? Nec defuerunt id negantes, quorum decem argumenta & rationes profert Ioan. Andreas in cap. 1. de renunciacione in 6. Sic autem potissimum illi argumentabantur. Primo, qui renunciat, id in manibus Superioris facere debet, at Rom. Pontifex Superiorem non habet. Deinde nullus iure potest potestatem adimere, nisi is qui eam confert; sed Pontificiam potestatem nullus, nisi Deus confert: Præterea inferior auferre, aut abrogare nequit, quæ sunt à Deo collata; sed potestatem (vt diximus) Pontificiam solus ipse Deus confert.

Postremo in cap. Licet de renunciacione. Sic legitimum matrimonij consummati vinculum totius Dei auctoritate dissoluitur, ita & spirituale coniugium, quod est inter Episcopum electum, confirmatum, & consecratum, & inter Ecclesiam, non dimittitur, nisi Romani Pontificis auctoritate, qui id vinculi ipsius Dei potestate dissoluit: ergo Romanus Pontifex nequit Pontificiam dignitatem sine Deo id iudicente dimittere.

Nihilominus hinc argumentis minime obstantibus; in ca. 1. de renunciacione in 6. apertè definit Bonifacius VIII. Cælestinum R. constituisse, Romanum Pontificem posse libere Pontificiam dignitatem deponere: quam constitutionem ipse Bonifacius VIII. in eo cap. voluit tanquam ius haberi, & seruari, ne amplius quispiam rem hanc in dubium vocaret.

Secundo queritur, In cuius manibus Romanus Pontifex suo muneri & dignitati renunciare possit, & debeat? Aiunt quidam, in manibus Cardinalium, quia eorum suffragiis creatur. Verum id merito quidem ab aliis refutatur. Renunciatio enim fieri debet in manibus Superioris, c. admonet de renunciacione. Quare alii dixerunt Romanum Pontificem deponere Pontificatum debere in manibus Dei.

Sed rectius alij tradiderunt, renunciacionem fieri oportere in manibus Superioris, cum is qui renunciat, Superiorem habet, at Romanus Pontifex Superiorem in terris nullum agnoscit, ac proinde sacis est, si libere sese Pontificia abdicet dignitate.

Tertio queritur, An sit Romano pontifici liberum, pontificiam potestatem quandocumque voluerit, deponere? respondeo, minime, nisi iustis ex causis, vt si se ineptum & inhabilem agnosceret tanto muneri obcondo, vel quia sit senio viribusque confectus, aut infirmitate grauatus, aut negotiorum magnitudine & multitudine oppressus, aut alia ratione impeditus. Nam in ca. 1. de renunciacione in 6. dicitur Romanum Pontificem, maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendam vniuersalem Ecclesiam, Summi Pontificatus onera sustinenda, posse li-

bere renunciare. Et nihilominus si Rom. Pontifex absque vlla iusta & graui causa Pontificatum dimitteret, peccaret quidem; sed renunciatio vim & locum haberet.

Quarto queritur, An si Rom. Pontifex voto, aut iureiurando promitteret se nunquam tanto muneri renunciaturum, posset nihilominus Pontificatu cedere? Respondet, in voto, & iureiurando semper conditiones generales tacite contineri, videlicet, nisi iusta causa subint, ob quas aliud facere cogamur: quæ causæ si fuerint in Romano Pontifice, potest is, nihil voto, aut iureiurando impediente, sese Pontificatu abdicare.

Quinto queritur, An aliquando Rom. Pontifex Pontificiam dimiserint dignitatem? Augustinus Triumphus in lib. de potesta. Ecclesie. q. 4. art. 4. Archid. & Gemianus, c. de renunc. in 6. Aluarus, de planctu Ecclesie. lib. 2. c. 30. art. 6. Anton. 3. part. tit. 22. cap. 4. §. 2. Romanorum Pontificum quatuor exempla commemorant; Clementis, Cyriaci, Marcellini, & Cælestini V. de Clemente dicitur in c. Si Petrus, 8. question. 2. cum fuisse à Petro electum; ipse tamen, ne aliis exemplum daret successorem nominandi, & eligendi, suo iuri cessit, & pontificatum recusauit. Hæc vero historia non ab omnibus probatur & recipitur. Questio enim, in qua scriptores dissentunt, est apud iuniores quosdam historicos, An Linus, & Cletus Petro successerint, & quarto loco Clemens; An vero pontifex Clemens proxime post ipsum Petrum pontificiam dignitatem habuerit: ita vt Linus & Cletus solum fuerint Petri, & postea Clementis adiutores.

Communi consensu in Ecclesia romana, recepta est sententia, dicentium, Linum & Cletum, viuente Petro, fuisse adiutores eius; sed Petro è viciis sublato, Linus ab Ecclesia romana factus est Pontifex, & post ipsum electus est Cletus; & quarto loco creatus est Clemens: qui fuit Petri quidem ordinatione secundus, sed Ecclesie nominatione & administratione quartus. Suo igitur iuri Clemens cessit, & Ecclesia ipsi Linum & Cletum in pontificatu prætulit, ac Pontificiam potestatem per successionem conferenda putaretur.

De Cyriaco nihil certi habetur, nisi quod in historia de S. Ursula, & aliis vndecim millibus Virginum refertur eas omnes Romam venisse, Ecclesiam Cyriaco regente: qui diuinitus ab Angelo monitus, se illis pro Christi fide & religione necandum, dimisso pontificatu, vbi que relicta, cum Diaconis duobus adiunxit. Hæc tamen historia de Cyriaco, vt dubia & incerta indicatur, quamuis martyrium S. Ursula, & vndecim millium Virginum certum & indubitatum habeatur.

De Marcellino illud certo constat, metu mortis in templo Paganorum diis Gentium thus obtulisse: quod ipse deinde Pontifex in Concilio Episcoporum sine esse coacto, sponte confessus est, dicens, ego id feci, ego in infelix commisi: & ob tantum scelus iudico dignum me, qui & gradu, & munere Pontificio deiciar. Resipuit itaque, & postea decem constanter pro Christo peripellus, martyrii palmam obtinuit, c. Nunc autem, distin. 21. Hic Marcellini lapsus communi consensu creditur, & habetur in Martyrologio, & Breuiario Romano, & in Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum. Sed semper ipse Marcellinus retinuit pontificatum, nec vllus in eius locum successus fuit, & in pontificatu martyr effectus est.

In Cælestino V. exploratum, & certum habemus exemplum in iure, cap. 1. de renunciat. in 6. qui cum antea Monachus esset, postea ad pontificiam dignitatem euectus, monasticæ vitæ studio, regularisque disciplina amore, sese ad pristinam illam viuendi rationem reuocauit, munere pontificio abdicato.

Querat aliquis, Quam potestatem dimittat roman. Pontifex, quando renunciat? respondeo, iurisdictionis potestatem, non Ordinis: quare si Sacerdos, aut Episcopus erat, nec characterem sacerdotis amittit, nec Episcopalis Ordinis potestatem, qua Sacramentum Ordinis &

Confirmationis, & alia quæ in Episcopo spectant ad potestatem Ordinis, conferre possit.

C A P. VII.

De Romane potestatis Pontificia abrogatione?

Queritur primo, An rom. Pontifex in hæc esim lapsus, iure Pontificiam potestatem amittat? Dux sunt opinionum: quarum vna affirmat, esse quidem iure diuino priuatum Pontificatu; sed Ecclesie sententia postea declarari, cum ob crimen hæresis à Pontificia dignitate eiecisset. Hanc sententiam tuentur, Paludanus tract. de potest. Papa teste Siluestro, in verbo Papa, q. 4. Turrecrem. in Summa, lib. 2. cap. 102. & seq. & lib. 4. par. 2. c. 15. & seq. August. Anconitanus in Sum. de potest. Ecclesie. q. 5. art. 1. Iacobat. de concil. lib. 4. art. 1. & lib. 8. art. 1. & 2. Alph. de Castro, lib. 2. de iusta hæres. punit. ca. 23. & 24. Siluest. in verbo Papa q. 4. vbi citat Paludanum; sic Armilia, eod. verbo, nu. 12. Eam opinionem probabilem putat esse Driedo, lib. 1. de hæres. Christian. cap. 14. & eam probant prædicti Auctores ex illis verbis Christi Domini: Tu es Petrus, & super hæc petram edificabo Ecclesiam meam. hoc est, super te talem fidem habentem, vel super hanc fidem, quam confessus es. Deinde, Ecclesia est fidelium congregatio, c. Ecclesia, de consec. distin. 1. ergo hæreticus est extra Ecclesiam, ac proinde Ecclesie membrum non habetur: quo modo igitur caput Ecclesie esse potest, qui membrum Ecclesie non est? Postremo hoc idem videtur deduci ex c. Quod autem, c. Achatus, c. Audiuimus. 2. q. 1. c. Omnis qui recedit, c. Dicitur, & §. Hæc auctoribus, eadem causa & questione: quibus locis habetur: Hæreticus nihil iuris & potestatis habet; & quia Hæreticus est iure diuino excommunicatus, iuxta illud Christi Domini, Si tibi fuerint Ethnicus & Publicanus, si Ecclesiam non audierit.

Quod si ab istis queratur, An Papa statim atque est hæreticus, sit diuino iure à potestate pontificia amotus? Dicunt aliqui, vt testatur Alphonsus Cast. lib. citato, ca. 24. statim esse ea auctoritate priuatum, tamen in solam hæresim mentis incidit. Sic videtur sentire Turrecremata, item Alph. Cast. primum ca. 23. dixit iure pontificatu exiui esse, si hæresis externa sit: ac cap. 24. ad finem ait, probabilius esse, quod aliqui dicunt, potestatem exiuisse, etiam si solum interna sit hæresis. At Canus, de locis Theolog. cap. vlt. ad 12. docet, hoc non esse probabile. Sic etiam Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. quia hæresis interna est omnino occulta, & sua natura hominum iudicium lateat: quare maxima esset Ecclesie perturbatio & confusio, si Papa hæreticus, cum primam fidem mentis amittit, deberet esse Ecclesie membrum, & caput: accipiti animo, & perplexo esse mus, an Papa sit hæreticus, & an Pontificem habeamus.

Alii tamen aiunt, per hæresim internam, aut etiam tantum externam, papam non esse ipso iure à potestate amotum, sed per hæresim, quæ esset manifesta & notoria, aut ex facti euidencia, aut ex propria ipsius Papæ confessione, aut sententia iudicis, qui crimen ipsum declarasset. Alioqui enim si hæresis manifesta non est, vno ex his tribus modis, papa non est ipso iure pontificia auctoritate spoliatus, quia nisi crime sit manifestum, in dubium vocari potest, ac proinde papa pontificatum non amittit.

Alii insuper sentiunt, non sufficere hæresim manifestam & notoriam, nisi papa recuset resipiscere, & corrigi: si enim resipiscere velit, non est pontificatu priuatus, imo tunc, nec accusari potest, c. aperte. 2. q. 1. c. ait. c. hæc est fides. ea causa, & quest. Aluarus Palug. de Planctu Ecclesie. lib. primo, art. 4. Siluest. Armil. locis supra citatis, & Hugo, & Glossa in c. Si Papa, dist. 40. & c. nunc autem. d. 21.

Secunda opinio, negat generatim papam factum hæreticam, esse diuino iure sua potestate, & dignitate iurisdictionis amotum, sed amouendum: quæ sententia est Caietani Tomo 1. Opusc. tract. 1. cap. 19. vsque ad c. 27. Soti. in 4.

dist. 22. q. 2. art. 2. Corduben. li. 4. suarum questionum, tract. de potestat. Papa. q. 11. Cui. lib. 4. de locis Theolog. c. vlt. ad 12. Non enim ceteri Episcopi statim atque sunt hæretici, ipso iure à Pontificio munere & iurisdictione deiecti esse censentur, donec sententia legitima condemnati sunt, aut saltem eorum crimen declaratur: interim enim valent, quæ agunt ratione publici officii, quo funguntur, vt alio in loco diximus: ergo nec Romanus Pontifex.

Præterea Papa per hæresim non amittit potestatem Ordinis, nec iurisdictionis, ergo non est ipso iure à Pontificatu deiectus, sed deiciendum, si criminis condemnatur. Dices, Hæreticus est extra Ecclesiam, ergo statim atque est hæreticus, desinit esse membrum Ecclesiæ, ac proinde nequit esse eius caput? Respondent, hæreticum non eo ipso munus publicum, quo antea in Ecclesiaungebatur amittere, donec ei Ecclesia illud abroget: & idcirco donec Ecclesia Papæ hæretico Pontificatum adimat, rite & legitime eo fungitur. Fatentur itaq; hæreticum esse quidem ab Ecclesia seiuñctum, & auulsum, sed Pontificio munere non statim priuatum & exutum. Nec mirum est, quod abiectionis membrum munere officio publico fungatur, nam in *Barbarius, ff. de offic. Pratoris, ratione publici muneris, & administrationis rata & firma habentur, quæcumque facta fuerant ab eo, qui Prator esse non poterat, & tamen publicum officium obierat.*

In hac questione dubitari non potest, quin Hæretici, & Schismatici extra Ecclesiam sint. Id enim veteres Patres aperte testantur. *Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, & alii, vt habetur in c. ordinationes 9. q. 1. & c. p. denia, c. ad iudicium, 24. q. 1. ca. Nouatianus, 7. q. 1. & cap. 1. de Schismat.* quod ipsum quoque ratio ac definitio Ecclesiæ concludit, quæ est fidelium congregatio. Negandum etiam non est, quod & Patres quoque tradiderunt. Hæreticos & Schismaticos nihil potestatis & iuris habere: non quidem, quod illi potestatem Ordinis non retineant, sed quod abique peccato eam potestatem exercere non possint, & quod potestatem iurisdictionis amittant, vt tradit *S. Th. 2. 2. q. 39. art. 3.* ac propterea iidem Patres docent, Hæreticos, & Schismaticos, cum sint anathemate affecti, nequaquam posse in alios anathematis sententiam ferre. Hoc autem ideo Patres tradiderunt, quia Hæretici & Schismatici, vel præcisa ratione, quatenus hæretici vel schismatici sunt, vt est quorundam sententia: vel saltem decreto, & constitutione ecclesiæ de piorum ceteri excommunicationis vinculo adstricti separabuntur: vnde & ecclesia eos iurisdictionis potestate priuabat, ac Catholici eos vitare omnino debebant, non occultos quidam, sed notorios tantum & manifestos.

Vtrum vero occulti etiam essent omni iurisdictione spoliati? dissentiant auctores: nam vt quidam volunt, priuati quorundam erant: sed quia occulta erat eorum hæresis, ratum & firmum habebatur quicquid ratione publici muneris gerebant. Hæretici vero & Schismatici manifesti & notorii non solum à munere & officio amoueantur, sed etiam nihil ratum & firmum faciebant, quod attinet ad potestatem iurisdictionis, eo quod publicum ipsius munus, & officium abrogabat ecclesia cui muneri reitui solebant, cum in ecclesiæ gratiam redibant.

Attamen probabilior est aliorum sententia dicentium, etiam tunc occultis Hæreticis non esse potestatem iurisdictionis ademptam, sed solum manifestis & notoriis. Nostris vero temporibus post Constantinense Concilium, quamuis Hæretici & Schismatici iure ipso sint vinculo excommunicationis obstricti, vitari non debent, quatenus excommunicati sunt, etiam manifesti, etiam in sacris & diuinis officiis, nisi fuerint expressim & nominatim ab ecclesia deaunciati, aut notorii Clericorum percussores. Ex quo fit, vt ecclesia ob communem piorum salutem, Hæreticis & Schismaticis, nisi tantum denunciatis, aut Clericis percussoribus publicum munus & officium non adimat: ac propterea ratum & firmum iudicatur, quod ratione sui publici muneris exsequuntur. Et proinde

probabilior mihi videtur sententia asserentium, Romanum Pontificem ob crimen hæresis, etiam manifestum, non esse iurisdictionis potestate deiectum, donec criminis reus declaratur, sed deiciendum. Vnde cum his non pugnat veterum Patrum sententia, dicentium, nihil potestatis penes Hæreticos & Schismaticos esse: id enim locum habebat in Hæreticis eius temporibus, qui ab initio nascentis ecclesiæ excommunicationis vinculo subiciebantur, vel constitutione ecclesiæ, vel præcise ratione ipsius criminis ab ecclesia separabatur, & cum manifesti erant, omnino vitabantur ab aliis.

Deinde, cum obicitur, Hæreticos & Schismaticos extra ecclesiam esse: id locum habet tum ratione excommunicationis, cuius vinculo alligantur, tum etiam præcise ratione ipsius hæresis, per quam fidem amittunt, & se ab ecclesia diuidunt. Verumtamen siue hoc, siue illo modo extra ecclesiam sint, suo publico munere & officio fungi permittuntur, donec per ecclesiæ sententiam eo exuti deiciantur.

Quod hæcenus dixi, de Papa hæretico, locum habet in Papa hæreticorum fautore, defensore, adiutore, receptatore: non enim est diuino iure eo ipso à pontificatu deiectus. An vero sit ob talia crimina à pontificatu amouendus, statim dicam, Pari ratione Papa, si fuerit Idololorum cultor, non est diuino iure eo ipso pontificatu priuatus: an veto sit ob eiusmodi flagitium priuandus, dicam inferius.

Querat quispiam, An Papa si hæreticus sit, excommunicationis vinculo teneatur adstrictus: Quidam sentiunt, ob crimen hæresis, illatam esse Hæreticis iure diuino excommunicationem. *Simanca, de Catholicis Institut. tit. 27. num. 1.* iuxta illud Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethnicus & Publicanus:* & iuxta illud Pauli: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem dedit a,* & ad Galat. 1. *Si quis euangelizauerit vobis, &c.* & id Ioannis: *Si quis uenit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nec Accipietis.* Perinde hi Auctores dicent, Papam hæreticum iure diuino, non Canonico esse excommunicatione affectum.

Ego tamen libentius propendeo in eorum sententiam, qui asserunt, non esse in Hæreticos iure diuino excommunicationem constitutam, sed Canonico. Dixit quidem Christus, *Qui ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & publicanos habendos, quod eis, nisi resipiscant, Sacramenta, & diuina conferri iure nequeant; & idcirco illi Sacramentorum participes non sunt.* Item excommunicatus, est habendus vt Ethnicus & publicanus, nimirum is, quem ecclesia non tolerat: secus est, de eo quem tolerat ecclesia: insuper illis verbis Christus neminem excommunicauit, sed ecclesiæ dedit potestatem excommunicandi, Sicut cum dixit: *Qui vos audit, me audit:* non dedit in specie præceptum, siue mandatum, sed præcise ecclesiæ ius concessit, vt subditis possint præcepta dare. Et non ideo statim fit, vt prælatorum præcepta sint diuina. Quamuis etiam B. Paulus, & Ioannes moneant, ac fortassis etiam præcipiant, vt eos fugiamus; primo ob periculum perditionis, ne ab eis seducamur atque corrumpamur. Secundo, ne cum eis excommunicemus in crimine hæresis. Tertio, ne cum eis conuertemur. Quarto, ne eorum consortio utamur, si eo ipso de hæresi suspecti iudicabimur. In his enim casibus, iure diuino Hæreticos vitare compellimur: alioqui solum iure Canonico, quando Ecclesiarum pastores, & doctores anathemati eos subiciunt: & tunc adhuc Hæretici & Schismatici, dum ab ecclesiæ publico munere & officio non repelluntur, quicquid faciunt ratione publicæ administrationis, ratum & firmum habetur. Et hoc est, ipsos, non esse iure diuino iurisdictionis potestate deiectos, sed deiciendos.

Quæres, An Papa hæreticus, sit pontificatu priuandus, si corrigi velit? Respondeo cum Hugone & Glossa in cap.

Mat. 18
2. Ti. 2.
2. Ioan.

Lu. 10

Si Papa distat, 4. o. minime. Necesse est, aiunt, sit pertinax, qui emendari nolit, ca. dixit Apostolus, 2. q. 3. Si roges, An possit Papa statuere, ne possit accusari ob hæresim? Respondeo cum Glossa loco citato. minime, quia statueret contra ius divinum.

Secundo quaeritur, Cuius auctoritate Papa pertinax hæreticus, a pontificio munere sic amovendus? Ratio dubitandi est, quod Papa in terris superiorem non habet, ergo nullus est in terris, cuius auctoritate cogi possit pontificiam dignitatem deponere. Et id colligi videtur ex c. patet 19. q. 3. Et c. Alorum 9. q. 3. c. Oves 2. q. 7. c. electionem, distin. 79. c. Nemo, c. Ipsi sunt, c. Cuncta 9. q. 3. Respondeo, Ecclesia, siue Generalis Concilii auctoritate posse & debere ab officio deijci. Potest quidem, quia per hæresim se ab Ecclesia diuinitateque se iunxit: debet vero, ne alios inficiat atque corrumpat, Ecclesiam autem in tali casu id posse, constat ex cap. Si Papa, dist. 40. c. Oves 2. q. 3. & ex Epistola Adriani III. quæ publice recitata est in Synodo 8. Generali A. D. 7. ubi Pontifex ait: Romanum Pontificem, de omnium Ecclesiarum Praesulibus iudicasse legitur: de eo vero quemquam iudicasse non legitur. Licet enim Honorio ab Orientalibus anat hema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus maiorem suorum moribus resistere: & ex sermone Innocentii III. in consecratione Romani Pontificis, qui incipit, Quis putat se fidelis: & altero sermone qui incipit, Qui habet responsum Sic Turrecem, in Summa, l. 2. c. 93. Sotus, & Ca etiam locis supra citatis in superioribus questionibus. Sic Archidiacon. Ioan. And. Geminian. & alii in c. In Fidei, de Hæret. in 6. & Cardin. Alex. in c. Si Papa, dist. 40.

Quærat aliquis, Ecclesia ne hac in parte, sic Papa iurisdictione superior? Respondeo, eatenus quidem esse superiorem, quod abque vlla auctoritate ipsius Pontificis Generale Concilium conuocare potest, & de eius hæresi cognoscere, & de ea sententiam ferre, ac tandem pontificatu deijcere.

Ad obiecta vero, Papam in terris superiorem non agnoscere, Respondeo, in causa hæresis eo esse Ecclesiam superiorem, At, in quibus, hoc vnde deducitur? Respondeo, ex ipsa Christi institutione manifesta, & necessaria ratione deduci posse, Ecclesiam in hac causa, de Pontificis crimine sententiam ferre. Nam eo ipso quod est hæreticus pertinax, qui corrigi nolit admonitus, nisi Ecclesie potestati subijceretur, magna & multa in Ecclesia incommoda nascerentur: at Christus suam Ecclesiam non destituit, ergo ius illi & potestatem concessit, vt si Papa hæreticus sit, ei pontificatum possit auferre, ne, quem debet pastorem, doctorem, & duces habere, habeat, ac sentiat Lupum, hostem, ac corruptorem.

Quæres, Cuius auctoritate condemnari debeat Papa defunctus, si constiterit, eum mortuum fuisse hæreticum? Respondeo, auctoritate successoris, non Concilii Sic Archidiacon. Ioan. And. Geminianus in c. In fidei, de Hæret. in 6. Cardin. Alex. in c. Si Papa, dist. 40.

Tertio quaeritur, An quando Papa certus non est, possit Concilii Generalis auctoritate de pontificatu amoueri? Respondeo, posse id enim & exemplum & ratio ipsa naturalis omnino demonstrant: exemplum quidem, nam tempore magni schismatis, quo tempore cum tres simul pro summis Pontificibus haberentur, Gregorius nempe XII. Benedictus XIII. & Ioannes XXIII. Generale Concilium Constantiense conuocatum est, vt omnes de gradu pontificio deijceret: quamquam id necessarium non fuit, quoniam Gregorius se sponte sua abdicauit: at Ioannes in carcerem missus, & dignitate priuatus, Benedictus vero inuitus, ipsius Concilii sententia, omni potestate nudatus, quibus tandem perfectis, Martinum V. elegit, ac ita schisma è medio sustulit.

Ratio vero ipsa naturalis omnino persuadet: quia cum non est certus Pontifex, perinde est, ac si Pontifex nullus omnino esset, & sic eum Ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii & incerti pro Pontificibus habentur, iure

potest Ecclesia nouum creare Pontificem, & præcipere, vt ceteri omnes pontificatu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos sententia lata, pontificatu deijcere: & omnibus fidelibus imperare, ne eos vilo modo pro Pontificibus agnoscant, habeant, & venerent.

Sed vndenam, dicit aliquis, colligi potest tantum iuris esse, & potestatis penes Ecclesiam? Respondeo, id ex Christi institutione per necessariam & euidentem rationem deduci: ne scilicet Christus suam Ecclesiam destituisse videatur: alioqui enim, multis dubiis, & incertis pro Pontificibus summis in ecclesia segetentibus, sane innumeris calamitatibus, & malis ipsa premeretur & vexaretur Ecclesia.

Quarto quaeritur, An papa ob vllum aliud crimen pontificatu spoliari Ecclesie auctoritate queat? Dux olim circa hoc fuerunt sententiae, de quibus Turrecem, in Summa cap. 97. Et seqq. Et Cordubensis, lib. 4. suarum questionum, tract. de potest. Papa, q. 5. Vna fuit afferentium, posse ob simoniacam labem notoriam, qua pontifex facta & diuina venderet, Ecclesie bona dissiparet, totum Ecclesie statum peruerteret, & omnino deformaret, & ob alia crimina, quibus Rempub. Christianam grauius & euidenter offenderet. Quoniam, inquit, pontificatus est Petro & successoribus datus ob communem tantum Ecclesie salutem & pacem: ergo si eo Romanus pontifex vteretur in perniciem & exitium Ecclesie; merito eo posse iure priuari, ne alioqui fieri nos cogamur, Christum suæ Ecclesie curam & prouidentiam ab ecclesia. Glossa in c. Si Papa, dist. 40. in verbo, A Fide deius: Certe, inquit, credo, quod si notorium est crimen eius, scilicet Papa, quodcumque, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, possit accusari. Sic ibi. Hæc Glossa, vt testatur Cardinalis Alexand. in eodem c. Si Papa, distin. 40. olim tempore Eugenii IV. turbauit Ecclesiam, & offendit multorum animos & aures: & causa fuit maxime altercationis tempore Iulii II. multis scilicet approbantibus eam Glossam, & multis improbantibus. Approbavit etiam Panormitanus in c. signisisti, de elect. num. 4. in c. Cum meminissent de iudic. in cap. Fraternitatis, de Hæret. Anchar. in tract. de Schismate. Romanus consil. 523. Anania. cap. Quoties, de simon. Rosellus in sua Monarch. tract. 2. de forma eligendi Papam, & tract. de Concilio, inquisit. Vtrum sententia Papa proualeat sententia Concilii. Improbauit etiam Card. Alexandrinus c. Si Papa citato, Petrus a Monte, Tract. de Potestate Papa, Andreas Siculus Clemens. Ne Romanus, de elect. Imola ibidem, & alii, vt ait Felinus, capit. Nonnulli, de Rescript. vers. sed non videtur, col. 4.

Altera sententia negauit omnino, præter vnam hæresis causam posse ab officio Romanum Pontificem amoueri: quæ communi consensu recepta, & omnino tenenda est. Eam Turrecem, in Summa, lib. 2. cap. 93. Et seqq. Aluarus Pelagius de planctu Eccl. lib. 1. c. 4. Paludan. de potest. Papa, S. Antonin. p. 3. tit. 23. cap. 5. Et tit. 44. c. 2. Cordubensis, loco supra citat. Caserian. de Auctoritate Papa, & Concilii, ca. 26. Et 27. Augustin. de potest. Eccl. q. 5. art. 4. egrèis comprobantur.

Sed cur potius propter hæresim, quam propter aliud crimen cogi potest Pontifex eam dignitatem deponere? Respondeo, Hæreticum seipsum ab Ecclesia segregare & abscondere: decet igitur, vt ei qui se sponte ab Ecclesia subtraxit, pontificatus abrogetur: cetera delicta Auctoritatem suam ab Ecclesia non separant. Deinde constat, hæresim doctrinæ & fidei, alia vero crimina, quæcumque tandem illa sint, vitæ ac moribus aduersari: & papa datur Ecclesie; vt doctor & magister fidei & veritatis. At in his, eum dari etiam, vt pastorem & duces qui Ecclesiam & pascat, & vitæ exemplo confirmet? Respondeo, Christum de malis Doctoribus pronunciasse: Super Cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite: secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. permittit igitur Dominus in hominibus istis, vt doctrinam semper

non item vitam & mores sequantur: & ob id sanam ac veram doctrinam, summus Pastor non habet, merito dignus est, qui suo munere & officio priuatur. Si vero deprauatis vitæ moribus, bonoq; vitæ exemplo minime præditus sit, tolerandus est, non iua potestate deiciendus: sed orandum pro eo, vt respiscat, & ad meliorem vitæ frugem sese conuertat.

Quinto quaeritur, An Papæ possit pontificatus abrogari, si sit hæreticorum fautor, defensor, adiutor, receptor, vel se de hæresi suspectus? Potest, si petrinax sit, qui monitus corrigi nolit: tunc enim deicitur à pontificatu ob causam hæresis, cum hæreticos defendit, adiuuat, recipit, vel cum ob hæresim suspectus est vehementer: & crimen est notorium, vel per euidentiam facti, vel per promissionem in iudicio confessionem, vel ex eo quod sit criminis in iudicio conuictus. Si obijcias, Liberium Papam non esse pontificatum priuatum, etiam si cum Arianis communicauerit, & Constantio Imperatori Ariano confenserit in damnatione Athanasii, vt testantur, *Athanas. in epist. ad Constant. Hieron. de Ecclesiast. Scriptor. & Damas. in pontificat. Respondeo*, in primis Liberium hæreticum non fuisse, quamuis cum Arianis communicauerit: si quod peccauit, solam peccatum fuit in eo, quod Hæreticos non vitauerit, & Constantio Ariano Imperatori confenserit in damnatione Athanasii. Sed non fuit fautor, vel defensor hæreticorum, & ideo non meruit, vt à pontificatu amoueretur, præsertim cum Catholicis alioqui defendere.

Sexto quaeritur, An Papa possit se alterius iurisdictioni subijcere? Glossa in *e. In Synodo, verb. Apostolicam, distin. 63.* ait, Romanum Pontificem posse se Imperatori subijcere, ita vt Imperator possit pontificatum adimere, & in *e. si papa, dist. 40. Papa à nemine*, inquit, potest iudicari, quod intellege, nisi ipse se subijciat alteri. Idem plane docet in *e. Nos sane compentent. 2. q. 7.* & repetit id ipsum in *e. Nemo. 9. q. 3.* Hinc autem sententiam colligit Glossa, *ex l. est receptum ff. de iuris. omnium iudicium.* vbi dicitur: *Est receptum, eoque iure utimur, vt si quis maior vel æqualis subijciat se iurisdictioni alterius, possit ei, & aduersus eum ius dici.* Vbi Glossa auerit, Imperator si ei sit cum priuato, & se alterius iurisdictioni subijciat, potest ab eo condemnari, & absolui. Idem videtur colligi ex quorundam Roman. Pontificum exemplis & factis, nam cap. *Mandastis, 2. quest. 5.* Sixtus III. scribit omnibus Episcopis in hæc verba: *Sciote me criminare à quodam Basso, & iniuste me persequi. Quod audiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum congregari iussit. Et facta Concilio cum magna examinatione satisfaciens, licet euadere aliter potuissim, suspensionem tamen fugiens, coram omnibus me purgavi. Et cap. *Auditum est, eadem causa, & quaestione, Leo Papa: Auditum est, inquit, fratres charissimi, qualiter mali homines in me grauius crimina confecerunt. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. purifico me in conspectu vestro coram Deo & Angelis eius, quia istas criminofas & sceleratas res, quas illi mihi obijciunt, nec perpetrari iussi. Et cap. *Nos si 2. quest. 7. Leo Quartus scribit Ludouico Pio: Nos si incompetentes alicuius regimus, & in subditis iusta legis tramitem non conseruauimus, vestro, aut missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Symmachus item de obiectis sibi criminibus habita centum, & quinquaginta Episcoporum Synodo, se constanti & intrepido animo purgavit, Platina in *vita Symmachi.***

Cæterum constans est omnium fere tum iuris pontificii doctorum, tum Theologorum sententia, Papam, se alterius iurisdictioni subdere iure non posse: Sic Ioan. *Andreas & Abbas in e. Ecclesiast. S. Maria, de constitutionibus, & in e. significasti, de foro compet. Cardinalis, & alii ibidem. Archidiaconus in ca. Si quis super his, 7. q. 11. Sic Turrorem lib. 2. summa c. 104. Caietanus, & ante eos Aluarus Pelagius. S. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. art. 1. docet Papam alteri potestatem dare non posse, vt in eum ferat excommunicationis sententiam. Et profecto hanc sententiam ipsa ratio demonstrat magis veritati congruentem. Nam alioqui magnum*

incommodum & detrimentum acciperet pontificia dignitas diuinitus constituta. Deinde, Vicarius Episcopi, aut Prætor à Rege, vel Imperatore creatus, absque ipsius Episcopi, vel Imperatoris assensu, se alterius iurisdictioni submittere iure non potest: ergo multo minus Romanus Pontifex, qui est Summus Christi Vicarius, absque eiusdem Christi Domini consensu.

Neque vero quæ in contrarium obiecta sunt, euincunt, quod volunt. Id enim *ex l. est receptum*, in Papa locum habere non potest, qui sine Christi Domini assensu, se alienæ iurisdictioni supponere iure nequit. Et facta Pontificum in hac re, legem cæteris minime præscribunt: nam in *e. Mandastis, Sixtus circa finem: Non alius, inquit, qui noluerint, aut sponte hæc non elegerint faciendi formam dant.* Et Leo in *e. Auditum est, ita dicit: Hæc autem faciendi, non legem præscribo cæteris, quia id facere cogantur.* Romani igitur Pontifices propter obiecta falso sibi crimina sese purgarunt, sponte quidem, & modestæ, & humilitatis gratia, non quod id facere villo iure cogentur. At inquit: Papa se potest pontificatu abdicare, ergo potest alteri facultatem dare, vt in ipsum sententiam ferat, qua ei pontificatum abroget. Respondeo, nihil hoc argumentum nobis officere. Nam Papa cum pontificatum deponit, sibi ius non dicit, sed sicut cum creatur Pontifex, suum præstat assensum, quo creationem ratam habeat & firmam: sic postea pontificiam dignitatem retinet, quamdiu eam sponte non dimittit.

Obijcies deinde, quomodo Romani Pontifices se aliorum iudicio submiserit, cum id dignitatem pontificiam, & Christi auctoritatem non decere videatur? Respondeo, non ideo illos se subiecisse aliis, vt in ipsos ius dicerent, & sententiam, vel condemnando, vel absoluendo ferrent: sed aliorum iudicio, consilio, prudentiæ rem & causam suam commisisse: vt vera necne essent, quæ illis obijcebantur, iudicarent ipsi. Immo Marcellinus cum accusaretur, quod Idolis thura adoleuisset, & hæc Synodo se id fecisse negauisset; coactus postea & confessus, eum dignum se esse dixit, qui pontificatu deiceretur: tota Synodus respondit: *Primum sedem nemo iudicat, sed eris iudex: ecce damnaberis, & ex te iustificaberis.*

C A P. VIII.

Describitur tota historia de Ioanne XII. Benedicto V. Leone VII. quo iure fuerunt duo primi Pontificatus priuati, & Leo VII. in Pontificem electus.

Contra hæc quæ superiori capite dixi, obijciuntur primum. Ex historiis de vitis Pontificum constat, auctoritate Othonis I. Imperatoris Romæ fuisse coactum Concilium, in quo abrogatus pontificatus est Ioanni XII. ob incestus, adulteria, vt dicebatur, periuria, & luxum eius. Respondeo, id factum esse contra Canones, & iura. Quod vt sciatur, aduertendum est, rem sic se habuisse, vt narrat *Luitprand. de rebus per Europam gestis, lib. 6. ad finem.* Defuncto Agapeto II. Pontifice, anno 956, creatus est pontifex Ioannes XII. vocatus antea Octavianus ex Comitibus Tusculanis, Albertici Romani principis filius, & Diaconus Cardinalis. Hic Ioannes à Berengario, & eius filio Adalberto rexatus anno 960. Legatos ad Othonem Germanorum regem in Saxoniam cum litteris misit: cuius Legationis summa hæc fuit: Berengarium & Adalbertum truculentæ Ecclesiæ, & totam Italiam diuexare: pro Christianæ, & Italicæ salutis amore, Caroli Magni exemplo, à seua eorum tyrannide vindicaret: id si fecisset, illum Augustalibus insignibus ornaturum: inquam summum Ecclesiæ propugnatorem & Imperat. Romanorum: Otho satisfacere, cupiens, se venturum, & eius voluntati obsecurum respondit: immo ipsi Pontifici

Ioanni iurando, quod adhuc extat, se obligavit: *Tibi Domine Iohanni Papa ego rex Otho promitto, & iuro per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & per signum hoc iustificata Crucis, & per has reliquias Sanctorum, me, si permittente Deo Romanam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & rectorem ipsius pro viribus meis exaltaturum: neque ut honorem, quem habes amittas, auctorem, aut impulsorem futurum, neque Romanam vltimum decretum sacrorum deus, quae ad te, aut ad Romanos pertinent, sine suo consilio: & quidquid de terra S. Petri ad nostram potestatem peruenit, tibi reddendum: & cuiuscunque Italicum regimen commiserit, iurare iussurum illum, ut adiutor tui sit ad defendendam terram S. Petri pro viribus suis. Mediolanum venit Otho, & Archiepiscopus Valpertus, sicut ante promiserat, Principum & Episcoporum, de more Concilium vocavit: & ex omnibus qui frequentes conuenerunt, sententia, Regnum Italiae Berengario, & Adalberto filio abrotum, ad eum detulit, ipsumque in sede S. Ambrosii vrbana, magno apparatu caeremoniosque inuinxit: consecratum, & corona exornauit. Solemni sacramento praesentibus omnibus promisit Otho se patrimonium suum pro salute ac dignitate Italiae profuturum neque eius rei gratia labori, periculo veli parturum. Et ne liberalitate superaretur, Archiepiscopum multis iisque amplis beneficiis donauit: in primis tres illi in agro Mediolanensi ditaciones subijciens, quae eo usque Regibus subdita fuerant, Comitatum Parabiagi, Septii & Bazariae, Ducatum Burgariae, Marchiamque Marchesii.*

Postea Otho cum lectissimo exercitu, ipso comitante Archiepiscopo Romano venit, vt coronam, a Pontifice Ioanne promissam reciperet. Venientem Otho honorem Romanam luctuosis animis, si quemquam alium vnquam, & admirabili benigni occurus spectaculo Romani exceperunt. Ingessum autem, & ad pedes suos se submittere, & in Vaticanae basilicae gradibus Ioannes amplexus in templum deduxit, & sacris magna caeremonia celebratis, cum esset ab Archiepiscopo oblatum, vinxit, ac demum Imperiali diademate insigniuit, vniuerso populo, Clero que certam faustis vocibus acclamante: Augusto, Imperatorique felicitatem, ac victoriam. Quo facto, vterque ad aram S. Petri accessit, & solemniter Sacramento deuinxit ille se Ecclesiae Romanae semper in auctoritate futurum: hic se nullo vnquam tempore Berengarii, ceterorumque partibus adhaesurum. Secuta est vt inque inuitato liberalis: Otho Ioanni oppida Ecclesiae ad id tempus recuperata restituit, & amplissimis pretiosarum gemmarum, auri, argenti que donis, Ioannes Otho quem aliquot dies apud se retentum omni officii genere libnorauit. Quibus exactis, Otho se Papam recepit: vbi usque ad annum sequentem commoratus est. Inde discedens in Montem qui dicitur Sancti Leonis, Berengarium obledit Adalbertus Berengarii filius in Corsicam insulam fugit: qui postea Romam venit, & in suam sententiam Pontificem Ioannem trahere conatus est. Ioannes Pontifex, siue quia tanquam Italus, valde ab externorum Imperio abhorrebat, siue quia inconstanti ingenio erat, breui de suscepta sententia destitit, & Berengarium, vt qui Italici sanguinis esset, sibi in Italia retinendum, Othonem veto, vt qui Germanus & externus esset, ei sciendum existimauit, praesertim quod nondum oppida (vt habetur apud Luitprandum,) quae ad ius, & patrimonium S. Petri pertinebant, reddidisset, veluti solemniter sacramento redditurum se promiserat, & homines illorum oppidorum sibi, non Pontifici iurando obligaret: plerique Romanorum consilium eius vt honestum, & Italiae salute comprobant. Sequenti itaque anno nunciis ad Adalbertum in Fraxinero sedentem missis, tacite se eum illo aduersus Othonem federe iunxit, eumque ad se Romanam acciuit. Hoc vbi cognouit Otho, relicta obsidione Castris, Romam cum exercitu venit. Cuius aduentu minime expectato Pontifex, & Adalbertus vna cum multis Romanis aufugerunt: alii Romani, datis obsidibus, sese Imperatori dederunt. Otho Imper. missa Legatione

Pontificem reuocauit, vt adesset ad dicendum causam: & vt de malis criminibus, de quibus accusabatur, se purgaret. Pontifex venire recusauit. Otho Imper. Conuentum Episcoporum ex tota Italia iudixit: Conuocato Synodo, omnes sententiam dixerunt, Ioannem dignum esse, qui Pontificatu deiceretur: & alium debere in ipsius locum eligi, & creari Pontificem: Atque ita iussu Othonis Imperatoris Synodus vnanimi consensu Ioanni Pontificatum abrogauit, & Leonem patriam Romanam Ioannis Protoscrinarii filium Pontificem elegit: qui vocatus est Leo VIII, & ex Laico, teste Sigeberto in Chronico, contra Canones factus est Pontifex. His cognitis, Ioannes Vrbe profugus, animum ad recuperandum Pontificatum adiecit, & Romanorum animos in suam sententiam pertraxit. Ita quod Romani anno 964. Idus Ianuarii repente armati, Othonem adhuc in vrbe commorantem, & trans Tyberim, de more Castra habentem, & nihil tale suspicantem aggressi sunt, iamque ad pontem processerant, cum Otho adiuuentum eum parte suorum occurrit. Aequa primum vtrique in ponte pugna, cum acris deinde Germani in cumberet, Romani se in fugam dederunt. Agitatum deinde est de pace: quae ita conuenit, vt Romanorum obsides darent: qui deinde precibus Leonis Pontificis electi dimissi fuerunt, ac se in fide mansuros sacramento promiserunt. Rursus eum Otho ex Vrbe discederet: Romani mutatis voluntatibus, Leonem ex Vrbe eiecerunt, Ioannem in pristinam Sedem, & dignitatem Pontificiam restituerunt. Vnde Ioannes Romanam veniens, congregato Episcoporum Conuentu, Leonem Pontificatu priuauit, eiusque acta irrita esse & inania declarauit: quo facto, pridie Idus Maij est viuis decessit anno 964. Defuncto Ioanne, statim Romani Benedictum Diaconum Cardinalem Romanam Pontificem creauerunt, quem se defensoros polliciti sunt: qui dictus est Benedictus IV. Otho cum n relinisset Ioannem receptum in vrbe, & post obitum eius electum Benedictum esse, cum exercitu, vt superiori capite enarraui, Romam venit, & eam ita acriter obsedit, vt nemo egressi, vel ingredi posset: Romani tanta rei frumentariae inopia laborarunt, vt modius fufuris aureis triginta venderetur, quam cum diutius ferre non possent, anno 964. aperis portis Othonem receperunt, qui statim Leonem in pristinam Sedem restituit. Conuocata deinde Synodo, Pontificale pallium Leo abstulit Benedicto, & ferulam ex eius manu ablatam in suam coniecit, & ad pedes suos sedere iussit, ac tantum Diaconi officium illi permisit. Sic Otho ex Vrbe discessit, ducto secum in Germaniam Benedicto est Pontificatu deicto. Benedictus exilio relegatus, breui mortuus est apud Hammaburg, & sepultus in Ecclesia Cathedrali Hammaburgensi, sedit mensis vnum, dies 11. creatus est anno 964. Obiit eodem anno pridie Nonas Maij.

Leo itaq; VIII. electus est Pontifex anno 963. in Concilio Ioanne Pontificatu deicto, sedit contra Benedictum, annum vnum, menses tres, dies quinque, obiit anno 963. 6. Ks. April. Haec ex Luitprando, *lib. tit. at. ex quo acceperunt ceteri Blondus, Platina, Sigo, & alii iuniores cum S. Antoni. p. 2. tit. 16. c. 16.*

Reuera quamuis Otho Imper. charitatis studio Ioanni XII. & Benedicto V. Pontificatum abrogauerit: id tamen fecit contra Canones & iura: nam, excepta causa haereticis, papa nemine indicari potest, *si Papa, distin. 40.* Vnde quamquam fateamur Ioannem XII. multis se flagitijs polluisse, non potuit tamen iure ab vilo Concilio Pontificatu deijci, neque enim Concilium vllam habet in papam potestatem. Marcellinus Pontifex cum metu tormentorum thus Idolis obrulisset; & propterea multorum Episcoporum cogere conuentus; Responderunt patres, primam sedem a nemine iudicari posse, sed causam ab ipso Marcellino agi, & suo se ore iudicari debere, vt in ipso Concilio dicitur, & refertur a Nicol. I. *Epist. 3. ad Michaelem.* & Siluester in Concilio Romano constituit, primam

139

Sedem, neq; ab Augusto, neque à Clero, neque à Regibus, neque à Populo esse iudicandam: item cum multa essent obiecta Symmacho Papæ, & idcirco magna esset episcoporum congregata Synodus: Laurentius Episcopus Mediolanensis, & reliqui Præules dixerunt, sua auctoritatis non esse in summum Pontificem sententiam ferre: & totam causam Deo se tradere iudicandam. S. Eudodius itidem ostendit libro, qui à Sanctis Patribus in Synodo Romana unanimi consensu receptus, & Symmachi Papæ auctoritate comprobatus est, soli Deo reservari causam sedis Apostolicæ: Otho Friburgensis historicus, qui non longe à tempore Othonis I Imperatoris scripsit, eum narraisset priuationem Pontificatus Ioannis, ait: *Que omnia virum licita, an secus acta sint dicere præsentis non est operis: vs enim gestus defendere, non gesturum rerum rationem reddere proposuimus:* eadem Gotfridus VVithichindus itidem Saxo, qui laudes extulit Othonis I Imperatoris, eiusque res gestas descripsit: hoc quod factum est in Ioannem Papam, silentio prætermisit, quippe qui videt non sine vituperatione ipsius Othonis recentem posse Postremo suspecta est in hac parte fides Luitprandi historici, qui libro tertio sue historię plane testatur se scribere, vt de inimicis suis summatim loqueretur, & laudibus extollat eos, qui se multis beneficiis affecerant. Constat vero eum male tractatum à Berengario, bene vero ab Othone Imp. Obiicit, ergo Concilium Romæ coactum erravit, quippe quod Ioanni contra Canones Pontificatum ademit? Respondet, nihil mihi inquit, siquidem repugnante Ioanne legitimo Pontifice coactum, & peractum est, sola Othonis I Imp. auctoritate laica.

C A P. I X.

De Romani Pontificis Primatu.

Quæritur primo, An Petrus à Christo Domino inter omnes Apostolos Pontificatum acceperit: ita vt cæteris fuerit auctoritate, & potestate superior? Hæretici negant Petrum inter Apostolos à Christo ullam Primatum auctoritatem, & potestatem habuisse, aut illis esse illa iurisdictione prælatum. Solum enim fatentur, Petrum cæteris Apostolis in certis quibusdam prærogatiuis præpositum: potest enim quiescere omnium primus multis modis, videlicet ætate, sapientia, honore, dignitate, virtute, nobilitate, imperio, & potestate. Petrus ergo, inquit, fuit, Apostolorum primus ætate, fidei feruore, animi magnitudine: ac propterea primus omnium sententiam dicebat, respondebat, præcedebat, & nominabatur: non tamen fuit primus omnium imperio, auctoritate, & potestate: cæteris enim imperare, eosque si male fecissent corripere, eius leges & præcepta tradere, vel iura dare nequebat. Sed constans est & certa omnium Catholicorum sententia, Petrum Christi Domini institutione primatum inter Apostolos accepisse cum imperio & potestate. Quare non satis est Catholico doctore ad hoc dogma Hæreticorum consuetudinem, contendere Petram fuisse Apostolorum primum: sed oportet etiam ostendere illum eis fuisse imperii potestate superiorem, cui quidem veritati satis amplum & luculentum diuine literæ testimonium perhibent. Sunt enim duo loci Euangelici, in quorum vno primatum Petro Christus Dominus promisit, in altero primatum contulit, ac ita promissum impleuit. Matth. 16. promiserat Christus Primatum Petro illis verbis: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit solutum & in cælis.* Ioan. vero cap. 21. Christus promissum exoluit, cum Petro dixit ter: *Pasce agnos meos, vel oues meas.* His duobus locis Petri Apostoli Primatum manifeste continetur.

Hæretici tamen multa nobis obiciunt, quibus verum & germanum horum verborum sensum labefactare conantur. Aiunt illi in primis, huius dicti. *Et super hanc petram, &c.* sensum hunc esse: Christus seipsum tunc petram monstrauit, dicens: *Ædificabo Ecclesiam meam,* quasi dice-

ret, super me, qui sum petra firmissima, quam tu es ore confessus, *ædificabo ecclesiam meam,* idque ex eo colligunt, quia S. August. *tract. in Ioan. 124.* sic eum locum expoluit, & *libr. 1. retract. c. 21. ait,* se aliquando hæc verba explicasse, vt in petra intelligeretur Petrus, aliquando vero ita vt intelligeretur Christus: quæ posteriori sensum magis approbare videtur, eumque ratione & argumento concludit, quia Christus nõ dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* sed, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Subdit tandem ille posse intelligi petram, vel Christum, vel Petrum. *Harum duarum sententiarum vtra sit probabilior, eligat lector.* Sic ille. Orig. *in cap. 16. Matth.* appellatione petrae videtur intelligi: e quemlibet fidelem constituentem Christum. Sed enim S. August. argumentum vim magnam non habet: quia in Græco, petra dicitur: *πέτρα,* & proinde Christus Dominus optima est allusio eius: *Tu es πέτρος,* quod est Latine petra: Latinus vero interpretatus, & commodius sane non potuit hæc nominis allusionem explicare: & ideo vertit: *Tu es Petrus, & super hanc petram,* Petrum genere masculino nominans, vt proprium ipsius Petri nomen exprimeret: genere vero feminino petram dicens, vt ipsum lapidem, vel saxum à Christo notatum designaret. Deinde, quia Christus Dominus cum hæc diceret, Syriaco sermone quo tunc Iudæi utebantur, tantummodo loquebatur: in quo certe sermone vox Syriaca petram significans, minime vario sine terminatur; Syriace enim petra, siue saxum dicitur: *cephay:* unde Christum credimus dixisse: *Tu es cepha:* quod verbum alius Euangelista reddidit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas,* quasi dicat, Nunc vocaris Simon, sed à petra nomen habebis, & petra vocaberis, & super talem petram ædificabo Ecclesiam meam. Huc accedit, quod ipse sermonis contextus indicat in petra esse necessario Petrum intelligendam: quia Petro tanquam singularem fidem professio, Christus singulare præmium promittit: & ideo dicit: *Tu es Petrus,* quod est, à petra nomen habes, & petra vocaris; & propterea super te, qui talis es petra, Ecclesiam meam ædificabo. Denique Christus vius est verbo futuri temporis, ædificabo: nam si seipsum digito, aut manu monstrabat, quorsum diceret, ædificabo? super ipsum enim iam erat ecclesia ædificata: at suum Vicarium nondum designat & elegerat.

Deinde Hæretici obiiciunt, petrae appellatione hoc loco, intelligi debere fidem quam confessus est Petrus. Sic enim, inquit, hunc locum exponit Chrylost. *hem. 55. c. 83. in Matth.* At enim contra Chrylostomum, & alios facit simplex & clarus ipsius sermone contextus, nam Christus dixit: *Tu es Petrus,* id est, petra: *Et super hanc petram,* qualis nimirum es tu: non enim Christus in tam paucis verbis diuersas petras, aut saxa significare voluit: vnum quidem, cum dixit, *Tu es Petrus,* alterum, fidem quam fuerat Petrus professus. Et certe pronomen, *hanc,* designat ad sensum, quod proxime antecessit, & sensu adhuc retinetur, quod longe præcessit, & quod mente potius, quam sensu percipitur. Longius distabat fidei confessio, quam Petrus fecerat, & mentis intelligentia seruabatur. Christus vera dixit: *Tu es petra, & super hanc talem petram ego ædificabo Ecclesiam meam.*

Tertio illi argumentantur, eius loci sensum esse: *Tu es petra, & super hanc petram,* qualis tu es, ædificabo Ecclesiam meam, videlicet Iudæorum & circumcisorum, non omnem, nam Paulus Apostolus *ad Gal. 2. ait:* [Qui cooperatus est Petro in Apostolorum circumcisionis: operatus est & mihi inter Gentes.] quod est idem, ac si diceret, commissam esse Petro circumcisionem, seu Iudæorum Ecclesiam, paulo vero Gentium. Verum contra istos tria maxime faciunt, primum, quia Christus absolute & simpliciter dixit: *Ædificabo Ecclesiam meam,* non hanc aut illam Iudæorum, vel Gentium. Deinde, quia *Io. 21. dixit* Christus Petro: *Pasce oues meas* absolute & simpliciter, nõ has aut illas: quare simpliciter promiserat, simpliciter et exoluit. Postremo quia hoc loco promittitur Petro clauis regni cælorum.

Appellationi vero clauum pulchra inest Metaphora, qua significatur potestas generatim Petro data. Regibus enim & principibus cum traduntur vrbis, vel oppidi clauis, traditur tota potestas simpliciter in populum, vel ciuitatem. Hæc autem Metaphora erat Hebræis vsitata. nam *Iſa. 22.* dixit Dominus cuidam aulæ & domui regie Præfecto: *Amouebo te, & alterum substituiam, & dabo illi clauem domus Dauid supra humerum:* quibus verbis significabat Dominus, in domo regia omnia esse administranda consilio, auctoritate & potestate eius, quem ipse delegerat. Et ita Christus hoc in loco, cum promittit Petro clauis regni cælorum, promittit ei se daturum simpliciter omnem potestatem in regnum cælorum, hoc est, in ecclesiam, per quam patet aditus ad cæleste regnum, quia vero Petrus primum Iudæis Euangelium annunciauit, deinde Gentibus, & Paulus sicut fuit à Domino vocatus, vt deferret nomen suum ad Gentes, ita ab initio conuersionis suæ inter gentes Christi Euang. promulgauit, ideo dixit Petrum esse circumcisorum Apostolorum, se vero gentium.

Quarto argumentatur ex sensu horum verborum: *Edificabo Ecclesiam meam*, quæ est, (inquiunt) Promouebo ecclesiam meam, & faciam eam crescere super te tanquam super vnam petram adherentem aliis, & cum aliis coniunctam, quod est dicere, Te tanquam vnum lapidem ponam in ecclesiam meam super quem crescat. Paulus enim ad *Ephes. 2.* scribit: *Super adificasti supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Et *1. Petri 2.* *Et ipsi tanquam lapides vivi, superadificamini.* Respondeo, ipsum literæ contextum non obscure significare in Petro, vt in fundamento post Christum Ecclesiam ædificandam, neque enim Christus solum dixit: *Edificabo Ecclesiam meam*: sed etiam adiecit: *Et tibi dabo clauis regni cælorum.* Deinde quia Christus Petro tanquam singulariter eius fidem professio, singulare velati præmium promittit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo ecclesiam meam*: ergo aliquid est Petro tanquam proprium datum, quod non est communicatum cum cæteris.

Postremo obiciunt, quia patres tradunt, vt constat ex *Augusti serm. 13. de verbis Domini, & in libr. de Agone Christiano* Petrum clauis regni cælorum accepisse nomine ecclesiæ totius, cuius vicem & personam gerebat: sicut cum quis mittit aliquem ad alium, vt nomine ipsius quippiam accipiat. Item Patres communiter testantur, Petrum esse locutum tanquam os omnium Apostolorum. Respondemus, minime negare nos, Patres sic locutos fuisse. Sed id propterea dicunt, quia significare volunt, in Petro tanquam in capite & fundamento totam ecclesiam contineri: & Petrum accepisse potestatem ob communem ipsius ecclesiæ salutem & bonum. Non ergo significant ecclesiam in Petrum tanquam in procuratorem quandam, suam auctoritatem transfuisse, vt ipsius nomine eam potestatem acciperet. Pari ratione interpretandum est, quod ab eisdem patribus dicebatur, Petrum esse locutum nomine omnium Apostolorum: non quod Apostoli in ipsum suam potestatem transferrent, vt ipse nomine omnium loqueretur: sed quod, vt eorum caput & princeps, pro omnibus responderet.

C A P. X.

Diluuntur alia argumenta Hæreticorum, quibus locum Ioan. 21. Pasce oves meas, passim oppugnant.

Primo igitur Hæretici verbum illud, *Pasce*, per Metaphoram & tropum exponunt, quasi Christus dixerit: *Doce populum meum, ei sacramenta ministra, cura, vt eum exemplo vitæ & doctrina confirmes & dirigas.* Respondeo, verbum *Pasce*, Hebræis idem esse quod regere, & Reges pastores appellantur. Quod nos latine legimus, in *Psal. 22.* *Dominus regit me*; in Hebræo dicitur: *Dominus pascit me*, illud etiam: *Reges eos in virga ferrea*: Hebræice est *Pascit eos*.

Secundo argumentantur, nihil Petrum singulare &

proprium accepisse, quod non fuerit cæteris quoque concessum. Etenim *Matth. 8.* dictum est omnibus: *Quæcumque alligaueritis, &c.* & *Ioan. 20.* *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c.* in extrema cæna omnes patres sunt presbyteri constituti: *Matth. vlt.* & *Matc. vlt.* omnibus sine discrimine datur potestas Euangelium annunciandi in toto terrarum orbe.

Præterea ex historiis ecclesiasticis constat singulos Apostolorum in omnes terrarum provincias esse dispersos, & vbique Dei verbum promulgasse: Episcopos in vrbibus creasse: in diuersis locis Presbyteros, & Diaconos elegisse & ordinasse: ergo omnes fuerunt auctoritate, & potestate pares. Respondeo, eos quidem fuisse æquales, quoad vsum & functionem ipsius Apostolicæ legationis, & quod ad vsum potestatis Ordinis spectat: non tamen simpliciter in omnibus aliis quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis. Omnes quidem erant Sacerdotes, omnes episcopi, omnes Apostoli: quæ singule per diuersæ erant potestates ad diuersa munera & functiones obeundas: at vni Petro data est ordinaria, & suprema potestas iurisdictionis in successores perpetuo transtitura, quæ cum cæteris Apostolis communicata non est, nimirum Christus Petrum tanquam sui Vicarium instituit, vt ratione huius muneris, & officii totam ecclesiam gubernaret. Dices, cæteros etiam Apostolos fuisse Christi Vicarios, ecclesiæ testimonio & auctoritate dicentis: *Ve istidem Rectoribus gubernatur, quos operis tui Vicarios eidem consulisti præesse pastores.* Respondeo, cæteros quidem Apostolos etiam fuisse Vicarios, non tamen Petro in iurisdictionis potestate pares, quoniam summa Vicarii potestas tradita Petro fuit, in suos quoque successores transmittenda, nam eam sibi, & suis successoribus accepit: illa vero ampliorum Apostolorum potestas, quæ sunt post Petrum in partem ministerii constituti Vicarij, non erat omni ex parte & modo in eorum successores deriuanda, sed vna cum ipsis defutura. Vnde post Petri obitum Roman. Pont. ei tanquam supremus Christi Vicarius cum summa in omnem ecclesiam potestate successit. Dicit Hæretici, etiam Pauli, vel Ioannis, vel Iacobi, & aliorum quoque Apostolorum successores, successerunt, vt Sacerdotes, vt episcopi, vt gubernatores, retores, & pastores animarum. Respondeo, in Apostolis fuisse varias potestates: erant enim illi in primis Sacerdotes, erant episcopi, erant Apostoli, Apostolorum potestas vna cum ipsis extincta & finita desit, quia fuit personarum priuilegium, & potestas commissa & delegata, non ordinaria; at Sacerdotis, & episcopi potestas manauit in successores: quia erat ius, & facultas ordinaria. Fuit igitur in Apostolis præter alias duplex potestas, ordinis & iurisdictionis: potestate ordinis, qua Apostoli erant Sacerdotes & Episcopi, Petro fuerunt æquales, sicut nunc omnes episcopi sunt eidem potestate pares, at potestas iurisdictionis non fuit in Petro, & cæteris Apostolis æqualis: nam in Petro fuit ordinaria ratione muneris & officii, in quo est à Domino constitutus, in aliis fuit commissa & delegata à Christo. Vnde post obitum Petri illa summa in totam ecclesiam iurisdictionis in successores transtulit: at in aliorum Apostolorum successores manauit eorum potestas, vt fuit ordinaria, qua scilicet ipsi erant Sacerdotes, & episcopi, non tamen, vt fuit commissa & demandata: ac propterea successores eorum fuerunt Sacerdotes & Episcopi certarum ecclesiarum, non autem legati in totum terrarum orbem missi. Deinde, ipso iure, quo Petrus fuit supremus Christi Vicarius relictus, potuit in omnibus totius mundi plagis ecclesias erigere, episcopos creare, clericos instituire: quæ quidem omnia etiam eius successor præstare potuisset, etiam si nullos cæteri Apostoli successores reliquissent, at nullus alius Apostolus potuit successorem relinquere, nisi certæ ecclesiæ episcopum & pastorem. Ergo potestas Petro data fuit superior & maior, quam reliquorum: nam in Petro fuit ordinaria, in cæteris extraordinaria & delegata, & commissa tantummodo.

Tertio Hæretici argumentantur ex dicto S. Cypriani

quod

quod refertur 24. quæst. 1. in cap. loquitur, ubi habetur: Loquitur Dominus omnibus Apostolis, Accipite Spiritum sanctum: parum tribuit potestatem. Et postea subiungit: Hoc erant caseri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis. Item Anaclet. ut dicitur c. in nouo, dist. 21. Caseri, inquit, Apostoli, cum Petro parum honorem, & potestatem acceperunt, & S. Hieron. libr. 1. contra Iouin. Ex aquo super Apostolorum Ecclesiam fortitudo solidatur, & cuncti clanes regni colorum accipiunt. Insuper Cyprian. in epist. ad Quintum, ait. Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem edificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcissione dispicaret, uendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primasem, & obtemperari à nouellis, & postea sibi potius oportere. Respondeo sæpe Petrus esse hoc modo locutus, quia in Apostolis considerabant, id quod in usu, ministerio, & facto consistit, non autem quod in iure ipso & potestate. Sunt enim quæstiones diuersæ, Quæstio iuris, & Quæstio facti? Erant pares Apostoli, quia singuli ubique locorum Euangelium annuntiabant promulgabant, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos creabant, Ecclesias erigebant, miracula faciebant, multa condebant, peccata remittebant, Christi corpus conficiebant, contumaces anathemati subiciebant, à sacris, & piorum, ac fidelium societate amoueabant; in scripturis interpretandis, & promulgandis nec ipsi labi & errare, nec alios decipere & fallere poterant: At pares non erant quod ad iuris questionem, & ad potestatem iurisdictionis spectat: nam Petri iurisdictionis fuit ordinata ratione sui muneris & officii, & proinde in eius successores detiuanda. Aliorum Apostolorum iurisdictionis fuit quidem in toto terrarum orbe, sed extrordinaria, demandata & commissa: ac propterea Petri successor, scilicet Rom. Pontif. fuit totius Catholice ecclesie pastor, aliorum successores non nisi certum Ecclesiarum Antist. & S. Cypri. manifeste declarauit, se nequaquam intellexisse, Apostolos fuisse in iurisdictionis potestate partes, ait enim eodem loco, videlicet tract. de unit. Eccles. Cathol. vulgo de simpli. Prælat. Sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstraret. Et alibi in epist. ad Iubæan. inquit: Petro primum Dominus super quem edificauit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit potestatem iustam dedit. Et tract. de disciplin. & habitu Virg. Petrus, inquit, cui oues suas Dominus pascebat, & uenditque commendat, super quem posuit, & fundauit Ecclesiam. In epist. ad Quintum, ait Petrus, quem primum Dominus constituit, & super quem edificauit Ecclesiam suam. Item Anaclet. ideo dixit: In nouo testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdos alii caput ordo, quia ipse primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est Domino dicente ad eum: Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et ipse quoque Hieronym. libr. 1. contra Iouinian. inquit: Propterea inter duodecim unus dicitur, ut capite constituto, Schismatis tollatur occasio. Subditque. Cur non Ioannes electus est uirgo? Etati delatum est, quia Petrus senior erat, ne magister bonus, qui occasionem uirgi debuerat auferre discipulis, in adolescentem quem dilexerat, causam præbere uideretur inuidia: & Cyprian. in epist. ad Quintum, tantum abest, ut Petri Primatum infirmit, ut potius corroboret, quia sensus est, Petrus licet esset Apostolorum primus, humiliter tamen se gerebat.

Quarto obiciunt, Christum Ecclesie petram, & fundamentum: Petra autem (inquit Paulus) erat Christus: ergo Petrus nequiuisset esse Ecclesie petra, caput, & fundamentum: nec enim corporis uisus possunt esse duo capita, & duo fundamenta. Immo idem Paulus ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod posuit est, quod est Christus Iesus. præterea ex ipsa Euangelica & Apostolica historia constat, nullum primatum inter Apostol. beatum Petrum habuisse: nam Actor. octauo Apostoli miserunt Petrum, & Ioann. ad Samar. & tamen is qui mittitur, non est eo, qui mittit superior. ad Galat. 2. Paul. Cepha in faciem reuertit, eumque corripuit, ibidem coniungit Petrum, Iacobum & Ioannem, tanquam tres Ecclesie columnas.

In Concil. itidem Apostolorum Hierosolymis coacto, non præfuit Petrus, immo potius Iacobus, cuius sententiam secuti Apostoli & seniores elegerunt viros ex eis quos Antiochiam miserunt una cum paulo, & Barnaba: & omnes simul Epistolam scripserunt in hæc verba: Apostoli & Seniores fratres iis, qui sunt Antiochia, & Syria & Cilicia fratribus ex Gentibus salutem, & reliq. Respondeo, ad hæc omnia, non raro contingere, ut quis sit iure & potestate superior, non tamen usu ipso, functione & facto auctoritate superioris utatur, vel humilitatis, vel modestie, vel utilitatis causa.

Aliquando paritatem mittit non ex auctoritate maiori, sed ex pari consensu & voluntate: veluti cum Herodes Rex Magos in Bethlehem misit. Quare nihil mirum est, si Petrus inter Apostolos usu & facto, suprema quam à Christo acceperat in ecclesiam potestate fungi semper noluerit. Neque enim continuo sit, ut qui ius habet aliquid faciendi, eo utatur. Miserunt igitur Apostoli Petrum in Samariam non ex auctoritate maiore, quæ ipsis inesser, sed ipsiismet Beati Petri consensu & voluntate, & ut Basil. ait libr. de pen. Petrus fuit Petrus, sed non ut Christus: nam Christus est petra, sed prima Petrus fuit petra, sed post Christum. Item omnes Apostoli sunt fundamenta, sed Petrus post Christum est fundamentum ecclesie. Alii apostoli suo ordine post Christum, & Petrum. Insuper Paulus increpauit Petrum correctione fratema, & ut ait Cyprian. in Epistol. ad Quintum, Petrus præbens exemplum humilitatis, patientia & concordia, consilium ueritatis admisit.

Quinto argumentantur: Christus solum dixit Petro: Pasce oues meas, Ioann. 21. quod est dicere: curam habere eorum ouium quas nunc habeo. Quo fit, ut Petrus Domini iussu curam acceperit eorum, qui ex Iudæis & Circumcissione in Christum crediderant. Respondeo absolute & simpliciter Christum dixisse: Pasce oues meas: quo verbo nihil distinxit, nullas oues excepit, nec nos igitur distinguere illos debemus. Neque enim Christus dixit: pasce has, aut illas oues meas, sed sine ullo discrimine, oues meas: quasi diceret, Curam habe mei ouilis. Vnde Chrysostomus in eum locum Ioan. Magna Christus Petro committit, orbis terrarum curam demandat. Et Theophylact. etiam ibidem: Totius orbis ouium præfecturam Petro committit, non autem alii, sed huic. Atator omnes oues Petro concreditas his carminibus declarat:

Primus Apostolico parua de puppe vocatus
Agmine Petrus erat. Et post, cui tradidit agnos,
Quas passus saluauit oues totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem quo muneris summus
Surgit. & quæ sequuntur.

Sexto argunt: S. Augustin. libr. de Agone Christian. & serm. 13. de uerbis Domini 13. & nonnulli ex patribus docent, Christum in Petro, cum illi dixit: Pasce oues meas, uniuersis ecclesiarum Præsulibus dixisse: Pasce oues meas, ita ut quod uni Petro dixit, æque omnibus Apostolis dixerit. Cum ei dicitur (ait beati Augustini) Pasce oues meas, omnibus pastoribus dixit, libro de Agone Christian. & alibi, videlicet serm. 13. de uerbis Domini: In uno Petro, inquit, figurabatur unitas omnium pastorum. Respondeo, nequaquam significare patres illis uerbis, quæ attulimus: id quod est Petro dictum, uniuersis simul dictum fuisse, sed Petro tanquam capiti, & principi omnia dictum fuisse: Pasce oues meas: quod autem capiti conuenit, membris etiam à capite ortum trahentibus, pro cuiusque gradu, & auctoritate conuenienter uidetur. Ita ut cæteri Episcopi greges à capite sibi commissos pascere debeant ad modum & formulam capitis totum gregem pascentis, cui uni præcipue datæ sunt clauis regni cælorum, & in quo est ecclesia Catholica fundata.

Septimo: Christus, inquit, ideo ter dixit Petro, Ioan. 21. Pasce oues meas, ut illius fidem, & charitatem corroboraret, nam quia ter negauerat se esse Christi discipulum

pulum, voluit Christus pro sua bonitate, certius fidem & charitatem excitare, non quidem ut ceteris eum praeferret, sed ut animaret ad credendum, certo sibi esse peccatum trinae negationis condonatum, & gratiam restitutam. Ac propterea ter ab illo quaesivit: *Petre amas me?* & ter illi dixit: *Pasce oves meas*, ac si dixisset: *Quamvis ter te meum esse discipulum negaveris, ter, crede mihi, fidem tuam & charitatem me confirmasse.* Respondeo, horum verborum manifestum esse sensum, Petro singulari quodam, & eximio amore Christum Dominum prosequenti, & eum plus quam ceteri diligenti amanti, Ecclesiam fuisse commissam, quam non solum doctrina, fide, & vitae exemplo, sed etiam auctoritate & potestate gubernaret, hoc enim significant ea verba: *Petre amas me plus quam hi?* Ita ut dicere Dominus voluerit: *Quia in caelum sum ascensurus, te in meum locum sufficio, ut tanquam bonus pastor, meam oviu[m] curam habeas, quippe qui me plus quam ceteri diligis.* Nam ad restituendam ei gratiam ob peccatum trinae negationis amissam, satis esse videbatur, si non minus quam ceteri amaret, eique propterea diceretur ter, *Pasce oves meas*, ac cum fuert interrogatus, *Amas me plus quam hi?* voluit Dominus eum ceteris praeferre, ut eos sua auctoritate regeret, atque confirmaret. Vnde Ambrosius Petrum alloquens: *Postquam, inquit, flevisisti, erectus es, ut alios regeres: qui te ipse non rexeras.* Et Arnob. *Apostolo penitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus: Et maior gradus redditur ploranti, quam sublatus est doniganti.* Et postea subdit: *Ut non solum recuperasse, quod amisserat, probaretur, verum etiam multo amplius penitendo, quam negando perdidere, acquisivisse.*

Ambr. in Luc. cap. 22. Arnob. Pf. 138.

Obiiciunt postremo: Vicarius non nisi in locum absentis, vel mortui sufficitur: Christus semper vivit, & suam ecclesiam per seipsum administrat, ait enim: *plemet: Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* rursus: *Ego sum Pastor bonus.* Et infra: *Alios oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & sic sunt unum ovile, & unus Pastor:* Ergo ipse Christus per se tantum suae Ecclesiae praesit. Respondeo Vicarium in locum absentis, non autem mortui substitui solere. Viduatur enim ecclesiae pastor datur, non Vicarius. Christus autem qua ratione homo est, in caelos ascendit, ac propterea in sui locum Vicarium subrogavit. Nec inde fit, ut ipse Christus suae ecclesiae curam deseruerit, sed per eum tanquam administrum, per se vero principaliter gubernat, & per Petrum eiusque successores Roman. Pontif. tanquam per Vicarios in sui locum suppositos. Quid enim obstat, quo minus Petrus sit totius ecclesiae pastor, non quidem principalis, sed ut Christi Vicarius & administrator? Ecclesiae enim privatae pari ratione, & episcopos habent tanquam pastores, & Vicarios Episcoporum adiutores administratos.

Matth. ultim. lo. 10.

C A P. XI.

An Apostoli omnes proxime à Christo acceperint omnem iurisdictionis potestatem.

Quaestio est inter Auctores Catholicos, An solus Petrus iurisdictionis potestatem proxime à Christo Dominus accepit, ita ut ceteri Apostoli à Petro sint Episcopi ordinati, quod attinet ad iurisdictionis potestatem? Duae sunt opiniones, Una docet solum Petrum iurisdictionem à Christo proxime accepisse, deinde vero à Petro Ioannem, & Iacobum, ut habetur in cap. Porro. dist. 66. qui deinde tres, cum ceteris Apostolorum iurisdictionem communicarunt, id volente, & concedente principaliter Petro. In quo formulam Ecclesiae tradiderunt, ut à tribus Episcopis Episcopus consecratur. sic Turc. in summa lib. 2. c. 77. Et in c. in novo, d. 21. q. 3. August. Thiamph. de potestate Ecclesiae, q. 88. art. 1. Id colligunt ex eo quod Petrus inter Apostolos Primatum accepit, ergo omnis iurisdictionis ecclesiasticae potestas est à Christo per Petrum tradita, alioquin Petrus non esset primus, & supremus Episcopus.

Deinde in cap. Porro. dist. 66. Anacle. refert primum Hieronymum Episcopum B. Iacobum apost. filium Alphaei, fuisse à Petro, Iacobo Zebedaei, & Ioan. ordinatum, sed tunc non accepit ab illis potestatem ordinis Sacerdotalis, vel Episcopalis, siquidem eam acceperat à Christo in caena, & post resurrectionem, Ioan. 20. cum dixit Dominus, *Accipite Spiritum sanctum*, at Iacobus Alphaei fuit vnus ex apostolis. Accedit quod idem Anacle. (ut habetur in c. in novo. dist. 21.) testatur, post Christum Dominum, in nouo testamento, à Petro sacerdotalem ordinem incepisse, sed non incepit ab illo potestas ordinis sacerdotalis vel episcopalis, ergo omnis iurisdictionis potestas data est à Christo per Petrum. Postremo Christus Monarchiam in ecclesia constituit, in qua ipse tanquam primum supremumque caput praesidet, & post eum Petrus: ergo ceteri Pontifices iurisdictionem acceperunt ab ipso per Petrum, ut in hoc ecclesia à Christo instituta fuerit in star veteris Synagoga, in qua omnis sacerdotalis ordo fuit à Deo per Mose[m] derivatus.

Altera est opinio; omnes Apostolos à Christo Domino proxime fuisse Sacerdotes & Episcopos ordinatos, ita ut eo non solum omnem potestatem ordinis, sed etiam iurisdictionis acceperint. Cai. tom. 1. opus. tract. 1. c. 2. d. in 4. d. 20. q. 1. 2. Conclus. 4. Cordus. lib. 4. quest. suarum, tract. de potestate. Papa, quest. 14. & Barnes. 2. 2. quest. 1. art. 10. dub. 4. vers. His ergo omisiss. Huius fuere sententiae plerique, eamque ipse quoque magis probo, & amplector. Inter omnes quidem convenit, Apostolos proxime à Christo apostolice legationis, functionis, & muneris potestatem accepisse: eos item omnes ab eo esse Sacerdotes creatos in caena, ita ut acceperint potestatem conferendi Eucharistiam, sacrificium pro vivis, & mortuis offerendi, denique omnem potestatem ordinis Sacerdotalis: Et Ioan. 20. accepisse omnem potestatem ordinis episcopalis. Dissensio solum est de Pontificia, siue Episcopali iurisdictionis potestate: nam Turresemata, & alii sentiunt hanc potestatem Apostolos accepisse à Christo per Petrum: Caietanus vero, Sotus, & ceteri putant hanc quoque proxime à Christo Domino Apostolos adeptos fuisse: nam ab eo, fuit omnes in Apostolos electi, ut ex Evangelio constat: & ipse Paulus ad Galatas, 1. c. 2. aperte tradit se esse non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, apostolum institutum: Matthias item non est ab apostolis, sed à Deo apostolus creatus: at apostolica potestas, & sacra auctoritas episcopalem continebat in se, non solum ordinis potestatem, sed etiam iurisdictionis, & ideo apostoli vbiq[ue] terrarum episcopos ac presbyteros constituiebant. Omnibus dictum est. *Accipite Spiritum sanctum: omnibus plenissima est iurisdictionis data, Matth. decimo. Illis verbis: Quaecumque alligaveritis: quaecumque solveritis, &c.* Omnibus dictum est: *Eunt es in mundum universum, praedicate Evangelium omni creatura: & de Iuda dictum est: Episcopatum eius accipiat alter.*

Cum vero obiicitur Anacleus, dicens in Novo testamento, post Christum à Petro nomen Sacerdotalem ordinem accepisse: Respondeo id esse sic accipiendum, ut Petro data fuerit potestas, ita ut ex eo omnis Sacerdotalis ordo iure manaret in ceteros: Christus tamen singulari privilegio apostolos, episcopos fecit, & iurisdictionis potestate donavit: quod nisi ipse fecisset, Petrus suo iure, & potestate, quam plenior fuerat assecutus, praestare potuisset. Et in hoc petri primatus elucet. Deinde quis obiicit: si ceteri apostoli sunt à Christo primum in episcopos eum iurisdictione electi, ergo ipsi in suos successores potestatem Pontificiam transulere, & illi itidem in alios, & sic deinceps: vnde fiet, ut Episcopi sint Apostolorum successores, ac proinde nihil habeant à Petro, & Romano Pontifice, cum Apostoli nihil à Petro sint assecuti. Respondeo: nequaquam negare nos, ab apostolis primos ecclesiarum episcopos institutos fuisse: & deinde post primos episcopos alios successores: in quo quidem factio inerat quoque ius & potestas, quae erat Petro data, quoniam primi episcopi

scopi

scopi ab Apostolis, deinde ceteri creati sunt à Clerico- rum Collegiis sine Conuentibus, interueniente quoque tacito Petri & eius successorum consensu, quibus ratio- ne sui muneris & officii conueniebat Episcopus aut per se, aut per alios eligere, creare, instituire, confirmare, consecrare.

Secundo quaeritur, An Primatus Petri à Christo ex quo summam in totam ecclesiam potestatem accepit ipse Petrus, ad eius successorum Romanos Pontifices diuino iure transferretur? Quod hic in dubio ponitur, Vnum est, An Summus Ecclesie Pontifex sit iure diuino cum Romano Episcopatu coniunctus, ita vt nulla auctoritate humana, etiam ipsius Romani Pontificis possit alio trans- ferri.

Alterum est, An iure diuino Episcopus Petri successor cum eadem omnino summa potestate, & iurisdictione illi succedat? de hoc secundo, statim quaeritio proxime sequenti, nunc de primo disputabo. Neque enim con- fundi debent hae duae quaeritioes, vt quidam confundunt: nam in prima solum quaeritur: An Episcopus Romanus sit iure diuino Petri successor? in secunda vero, An Petri suc- cessor habeat summam in totam ecclesiam potestatem? In hac igitur controuersia sunt duae Catholico- rum sententiae, vna docet, duo illa non esse iure diuino, sed tan- tum Petri facti & morte coniuncta quod est dicere, eo ipso quod Petrus Romae diem clausit extremum, summus Pontifex est cum Episcopatu Romano coniunctus: ita tamen, vt si alibi Petrus obiret, ibique alius ipse succederet, is Episcopus esset summus ecclesiae Pontifex. Iure diuino, inquit haec sententia, Petri successor habet summam in ec- clesia auctoritatem, & potestatem: quod autem hic aut ille Epi- scopus fuerit Petri successor, id morte Petri contingit, qui Roma decessit: de viuis, cum alibi potuisset mori occumbere: cui senten- tiae Sotus 4. d. 24. q. 2. ar. 5. ad finem adhæsit: ita tamen, vt sese Ecclesiae iudicio submittat. Idem cum eo sentit Cor- dubensis, lib. 4. suarum quaestionum, q. 1. de potestate Papa, pro- posit. 8. dub. 1. & quidam alii iuniores Theologi inter quos Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 4. vult se his ergo omittit. Et idem teste Cordubensi loc. cit. Augustinus Triumphus, & Tho- mas Waldensis ante Sotum dixisse videntur.

Alter sententia affirmat, haec duo esse non solum fa- cto, & morte Petri connexa, sed etiam singulari Christi mandato. hanc sequitur Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 2. ca. 3. Tractatamenta, Petrus, Sotus, Canus, & alii iuniores. Et certe non parum refert cognoscere, an haec duo, solo Petri fa- cto & obitu copulentur, an iure diuino, siue speciali Chri- sti Domini iussu. Nam si primum demus, inde fiet, vt hu- mana potestate, id est, Pontificia, illa duo secerit ac sepa- rari à se inuicem queant, videlicet, vt Episcopus possit esse romanus quidem, non tamen summus Pontifex, si ni- mirum Papa summum Pontificatum, ex Episcopatu Ro- mano amoueret, & alius quilibet, vt pote vel Toleranus in Hispania, vel Bituricensis in Gallia, vel Moguntinus in Germania, vel Cantuariensis in Anglia summum Ponti- ficatum habere possint, scilicet si Papa summum Pontifi- catum transferret in aliquam praedictarum urbium, vel vt possit esse summus Pontifex sine vno certe alicuius ec- clesiae Episcopatu: nimirum si Papa summum Pontifica- tum retinens nullus certe vbis esset Episcopus: Si autem secundum admittamus; scire quoque debemus, nulla hu- mana auctoritate fieri posse, vt Romanus Episcopus à summo pontificatu, vel è contrario seiangatur.

Secunda sententia mihi ita certa esse videtur, vt pri- mam cum iure ipso Canonico pugnare censeam. Etenim Nicolaus I. esse Gratiano in cap. Omnes, distinct. 21. omnes, inquit, siue Patriarcha apicem, siue Primatus excellentiam, siue Episcopatus potestatem, siue aliarum ecclesiarum dignita- tem, instituit Romana Ecclesia: illam vero, solum ipse fundauit, qui B. Petro aeterna vita Clauigero terreni, & caelesti Imperii iu- ra commisit. Postea subiungit: In haerem labi, qui Rom. Eccles. huiusmodi priuilegium conatur adimere.

Deinde Pelagius I. e. Quamuis, dist. 21. ait romanam ec-

clesiam nullis Synodicis decretis, aliis ecclesiis praelata m esse, sed voce Christi: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et, Pasce oues meas. Anacleus I. cap. Sacrosancti. dist. 20. sic in- quit: Sacrosancti Rom. Eccles. non ab Apostolis, sed ab ipso Domi- no, & Salvatore nostro Primatum obtinuit. Marcell. I. c. Rogamus. 2. 4. q. 1. Petrus fuit caput Ecclesiae, cuius Sedes ab Antioche- nis Romam, iubente Domino trans aeta est, cui nos hodierna die praesidemus adminiculante gratia diuina. Leo I. eadem causa, & q. c. Cum beatissimus: Cetero beatissimus, inquit, Petrus Ap. st. à Domino accepit principatum, & Rom. Eccles. in eius permanent instituta: nefas est credere, quod sanctus Episcopus, discipulus illius Marcus, qui Alexandriam prius Ecclesiam gubernauit, alius regulis & traditionibus sua decreta firmauerit. Praeterea Alexand. I. Iulius I. P. us I. in suis Epist. palam tes- tantur, Rom. Eccles. in Petro à Christo domino Pri- matum accepisse: & Conc. Florent. definit. S. Rom. Eccles. Pri- matum habere in omnes ecclesias voluntate Christi. Prae- terea Innoc. III. in c. Per venerabilem, qui sit sint legitimi, hunc in modum loquitur: Locus quem elegit Dominus, Apo- stol. Sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus Urbem fugiens exi- sisset: volens eum Dominus ad locum quem elegerat ratiocare: interrogatus ab eo, Dominus, quo vadis? Respondit: Venio Ro- mam iterum crucifigi. Quod mihi elligens pro se d. Elum, ad locum ipsum protinus est reuersus. Et in c. Fundamenta, de elect. in 6. Nicol. IV. sic habet de roman. Eccles. loquens: Vbi Sacer- dotei principatum, & Christiana religio caput Imperator ca- lestis instituit, illic Imperator terrenus non habet potestatem: quin magis, ut ipsa Petri Sedes in Romano tam solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potestatis, nec ulli sub- esset homini, qua ore diuino cunctis dignoscitur esse praelata.

His testimoniis permoti iuris Canonici interpretes, docent Rom. Eccles. iure diuino, siue Christi Domini man- dato Primatum habere, nec posse inde auctoritate Pon- tificia alio transferri huiusmodi principatum. Id enim pla- ne testatur Ioan. And. c. Fundamenta, de elect. in 6. Achid. c. Rogatus. 2. 4. dist. 1. & ibid. Egid. Bellam. Ancharan. c. 2. Fundamenta, de elect. in 6. num. 12. Auarus Pelagius lib. 1. de plantu Ecclesiae, cap. 31. Abbas, cap. Per venerabilem, qui sit sint legitimi. Dominic. cap. 1. & 2. distinct. 32. S. Anton. par. 3. tit. 23. cap. 5 & 7. In eobat. de Concil. lib. 8. art. 7. qui omnes eo argumento mouentur, quod Sedes romana, sic ceteris omnibus Christi voce praelata, eo quod praeeperit, vt Petrus in Vrbe Martyrium sustineret, ac proinde roma- nus episcopus, non solum factus, & morte Petri fuerit ipse successor, sed etiam mandato Christi: ita vt con- tra Domini iussu, eius Primatus alio transferri non possit.

His quaedam obijciuntur, primo, ex Mattheo, cap. 26. & Ioan. 21. Christum Petro lumen pontificatum tribu- isse, non autem alicuius certae ecclesiae episcopatum: ex euangelio solum habemus, petri successorem primate super totam ecclesiam donatum fuisse, non au- tem Romanum episcopum Petri successorum fuisse: po- tuit enim Petrus vbicumque vellet, suam sedem collocare, respondemus, nos minime colligere praesertim ex his duo- bus euangelicis locis, summum pontificatum esse cum e- piscopatu, diuino iure connexum; sed ex illis, & vna cum illis sum pro alio principio, videlicet, iussu Domini petri um romae Sedem pontificiam fuisse, hoc autem vltimum iu- ra ipsa Canonica nobis manifesta tradiderunt.

Deinde obijciunt, Historiam illam Christi petro dicen- tis: Vado Romam iterum crucifigi, non esse tam certae aucto- ritatis, vt ius diuini constiturere possit. respondeo, in pri- mis, eam historiam esse ab Ambrosio tradita lib. 5. Epist. 32. hunc in modum: petro, si esset in carcere, & ex eo fugillet, apparuit Dominus, cui petrus: Quo vadis Domine? Respon- dit: Romam iterum crucifigi. eandem proius historiam primū scripserat egeppos lib. 3. de excidio Hierosolym & ante hunc auctor Historiae, quae habetur in Actis sanctorum: Marty- rum, processit, & Martiniani, quos sacro fonte petrus ab- luerat in carcere inclusus: eam quoque commemorat Linus papa, in Actis Passionis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Tertio obiicit Sotus, in huiusmodi historia solum dici voluisse Christum, ut Petrus in Vrbe mortem pateretur; non autem præcepisse, ut Romæ Sedem poneret Pontificalem: Respondeo, ex historia aperte deduci, voluntate, & iussu Christi Petrum Romæ mortem subiisse, idque supra citati Romani Pontifices prodiderunt; ac proinde iussu Domini Romæ Sedem Pontificiam collocasse, quod iisdem Pontifices testantur. Christi autem mandatum, & iussum haud dubie ius diuinum constituit.

Quarto Sotus opponit, Petrum Antiochenæ Ecclesiæ primum præfuisse: ergo sicut inde Sedem Romam transfudit; sic ex Romana Ecclesia alio, si veller, transferre potuisset. Respondeo, Petrum quidem id facere potuisse ac te acceptum à Domino de Sede pontificia Romæ collocanda mandatum; at postea non item, quia oportuit cum Domini præcepto parere. Patri ratione respondemus ad eam quoque objectionem: Si Petrus usquam Sedem pontificiam constituit, nullas certus Episcopatus esset cum summo pontificatu iure diuino coniunctus. Etenim si nullum Christi de pontificatu Romæ ponendo mandatum Petrus habuisset, liberum illi fuisset quemcunque vellet, eam ad rem locum eligere, & tunc qui eo in loco, Petro successisset Episcopus, ecclesiæ primum habuisset, non quidem iure diuino, ut nunc habet Romæ Episcopus, sed solo Petri facto, & morte.

Sed quaerat aliquis, An prima (Sati videlicet, & aliorum) sententia iure erroris in fide condemnari debeat? Ratio quaestio est, quia Nicolaus I. in e. omnes. dist. 22. ait: In hisce scribit eos, qui Romæ ecclesiæ privilegium acceptum à Christo conantur auferre. Respondeo, in hac controuersia contineri duo: vnum est iuris, alterum facti. Quod ad ius spectat, est, in successorem Petri, ecclesiæ primum diuino iure transfuisse: quod qui negaret, proculdubio à Fide Catholica aberaret, nec hoc Sotus, & alii dissidentur: Vnde Catholici contra Hæreticos *Dridon de Eccles. dogmat. lib. 4. cap. 3. par. 2. ad finem. Canon de locis Theolog. lib. 6. c. 4. Rosen contra Lutherum. art. 30. Petrus Sor. in defensi. confess. cathol. par. 1. c. 97.* efficaciter probant. Romanum Pontificem, hoc est, Petri successorem primum in totam ecclesiam habere iure diuino, non humano dicitur. Quæstio vero facti est, An Romanus Episcopus, Petro successerit iussu Christi præcipientis, ut ipse Petrus Romæ martyrium sustineret, & Sedem pontificiam ibidem collocaret. An vero tantum successerit Petro, qui citra vllum Christi mandatum libere voluerit in Vrbe morari, & ibidem successorem habere? hoc enim est, quod Sotus, & alii ingenue fatentur: In quo cum Fide non pugnant, cum doceant Romanum quidem Episcopum, summum pontificatum tenere, nec vilius etiam principem, Regem, vel Imperatorem inde alio transferri posse. At cum putent non Christi Imperio, sed solo Petri facto ad Romanam ecclesiam transfuisse, fieri potuisse, & posse arbitratur, ut Romani pontificis auctoritate summus pontificatus ex vrbe alio transferatur: quod nos secundam sententiam secuti nequaquam admittimus. Nec obstat quod Romanus pontifex extra Vrbe Romam residere, & commorari possit, nam etiam absens fuerit, Episcopus Vrbe semper est. Ex hoc est, quod Waldensis, & Augustinus Triumphus docuerunt.

Tertio quaeritur, An Romanus pontifex, quia Petri successerit, supremam in ecclesia iure diuino habeat potestatem? quod perinde est, ac si quaeramus, An Episcopus Petri successerit Christi mandato, cum eadem omnino suprema potestate, & iurisdictione illi successerit? In dubium hic vocari possunt quinque: primum, An Petrus Romæ fuerit: Secundum, An Romæ sedem suam pontificiam posuerit: Tertium, An ibidem extremum videri diem clausisset: Quartum, An Romæ Ecclesiæ, vsque ad obitum suum præfuerit: postremum, An primum ecclesiæ totius à Christo suscepit ad suos successores transmittendum, & deriuandum? hoc est, An primum sibi, & suis successoribus accepit? Huius temporis Hæretici, Lutherani, & Caluianiani, contra vnam veterum omnium ecclesiæ scri-

ptorum auctoritatem ausi sunt asserere, Petrum, aut Romæ non fuisse, aut certe pontificatum, vsque ad mortem nequaquam tenuisse.

Non est nostri instituti eos, hoc loco confutare, cum id innumeris propemodum, huius nostri sæculi scriptores plenissime præstiterint: sed id tantum argumenti breuiter dilectemus, quo ex sacris litteris illi audacter, & impudenter deducere conantur, Petrum nunquam fuisse Romæ commoratum, aut ibi mortuum: quia *Actuum 15.* constat Hierosolymis fuisse omnium Apostolorum Concilium conuocatum; & ex *Epistol. ad Galat. 1. c. 2.* constat paulum post tres annos à sua conuersione Hierosolymam venisse, ut ibi Petrum videret. Deinde post quatuordecim annos ascendisse iterum Hierosolymam, & suum cum Apollolis Petro, Iacobo, & Ioanne Euangelium contulisse.

Anni porro tres, quatuordecim, & vnus simul collecti, faciunt decem, & octo annos: ergo Petrus decimo octavo anno à nece Domini Hierosolymis versabatur. Respondeo, facile profus, & inane esse huiusmodi argumentum: quid nisi potuit Petrus multo ante Romam venire, & ibi sedem suam figere, & rursus Hierosolymam ad tempus reuerti, sed tamen ex Vrbe alio nomine translata? Quod ita certe accidit: nam Petrus post necem Domini quinque annis est in Iudæa commoratus, quamdiu Tiberius Augustus superstes fuit. Quinquennio elapso persecutione in Discipulos concitata, & Apollolis in varia loca dispersis, Petrus Antiochiam, Syriæ Metropolim, se contulit: ibique septem annis condesit, ut testatur *Clemens lib. 6. Strom. Euseb. in Chron. & Hieron. l. 2. ad Galat. postea iubente Domino Romam venit: videlicet anno Christi Domini 43. & Claudii Imperatoris, secundo iam exacto: vbi vixit quinque annis Ecclesiæ præfuit: quo temporis decursu, interdum in Vrbe versabatur, interdum alio se transferrebat, non ut sedem mutaret, sed vt alias ecclesias erigeret, & omnes sua presentia iuaret atque confirmaret.*

Postea septimo, vel nono, Claudii Imperatoris anno, cum ipsius iussu, omnes Iudæi ex Vrbe pellerentur, Petrus Hierosolymam rediit, qui iam anno secundo clementis Claudii Imperatoris Romam venerat. In hoc igitur petri decessu, dum commoraretur in Iudæa, coactum est Hierosolymis Apostolorum Concilium, de quo *Actor. 15.* Et tunc Paulus Hierosolymam ascendit, ut cum Apollolis Euangelium cõfiteret. Postea vero Petrus Romam rediit, & post ipsum Paulus quoque in Vrbe venit: vnde ambo Romæ commorati, tandem martyrii palmam in Vrbe consecuti sunt. Obiicit quispiam, quod & ipsi Hæretici quoque obiiciunt, Petrum Apostolum prius *sua Epistola capite quinto* dicentem: *Salutate vos Ecclesiam, quæ est in Babylonia*, Babylonem autem fuit duplex, vna in Ægypto, altera in Chaldaea. Respondeo, omnes Patres locum hunc exposuisse eo sensu, ut Petrus appellatione Babylonis Romam intellerit. Vergebit ille, Babylonis nomen esse proprie accipiendum. Sed nihil hoc quoque firmè concludit, quid enim impedit quominus Petrus, dum Romæ sedem tenebat, inde profectus Babylonem inuenerit, vbi ad tempus commoratus scripserit Epistolam?

Si quis etiam obiiciat, paulum dicere *ad Galatas secundum*, se esse Gentium Apostolum constitutum, sicut Petrus erat Circumcisionis Apostolus. Verum ea facilis est responsio, Paulum ibi dicere voluisse, Petrum esse iussu Domini, Iudæorum principio Apostolum creatum. hoc est, diuino mandato apud Iudæos legatione Apostolica functum Euangelium promulgasse: Paulum vero prima sua vocatione ad Gentes iussu Domini missum: Ita ut sicut Petrus primo Iudæis Euangelium annuntiavit, sic Paulus primum Gentibus. Ac proinde non sequitur, ut Petrus nunquam deinde apud Gentes Dei verbum promulgauerit. Sicut enim primo voluntate Domini in Palestina est commoratus, sic deinde nutu Dei sese ad Gentes transtulit Euangelii gratia.

Superest vt doceamus, supremam in vniuersam ecclesiam potestatem, à Christo Domino Petrum accepisse. Ibi, &

bi, & suis successoribus; videlicet non in solo Petro mansuram, sed ad suos quoque successores derivandam. Fuere quidem in Petro eius potestates, vna Apostolica legationis, & munitis, altera vero supremi in Ecclesia Pastoralis. Ratione primae erat Apostolus, sicut etiam ceteri Apostoli, omnes enim fuerunt Christi Legati in totum terrarum orbem missi, cum potestate promulgandi Evangelium ubique, Ecclesiae etiam, Episcopos creandi, Clericos ordinandi, Scripturas Canonicas condendi, faciendi leges, miracula faciendi, sed huiusmodi potestas data est Apostolis non in successoribus transmissa, sed defutura vna cum ipsis, fuit enim in illis Apostolica legatio, personarum privilegium a Christo acceptum. Altera vero potestas est Petro tributa, quae quidem non fuit peculiaris Petri ipsius, sed ei conveniens ratione munitis, & officij; ad quod est diuinitus electus: nam Christus cum sui loco in Ecclesia Vicarium creauit, cum potestate ordinaria tam duratura, quamdiu Ecclesia permanebit. In hoc iugiter supremi Vicarij munere, & officio Petrum Apostolum Dominus collocauit. Quo sic, ut Petri successor quamuis non succedat in Apostolici munitis, & legationis auctoritate, succedat tamen, ut supremus Christianae Ecclesiae Vicarius, ratione cuius administrationis, & officij habet summam in totam Ecclesiam potestatem. Hoc autem etiam multis quibus non omnes, Haereticis haecenus negauerunt, & etiam nunc negant: atque en constans, & certa omnium Catholicorum sententia concedit, idque in multis Pontificum decretis, & factorum Conciliorum delationibus, & Sanctorum Patrum testimonij, & generali Ecclesiae traditione à primis temporibus ad nos usque perpetuo vsu deducta stabilitum est. Extant enim Pontificiae Epistolae, & Constitutiones, Anacleti Epist. Barthelemi, Alexandri I. in Epist. ad omnes Orthodoxos Sixti I. Epist. ad Gallicanos Ecclesias, Pij I. Epist. ad omnes Ecclesias, Victoris I. Epist. ad Theopophilum, Zepherini Epist. ad Episcopos Siciliae, Marcelli I. Epist. ad Episcopos Antiochenae Praenestinae, Eusebii Epist. ad Episcopos Campaniae, & Tufanae, Melchitae Epist. ad Episcopos Hispaniarum, Marci Epist. ad Athanasium, Iulij I. Epist. ad Episcopos Orientales, Damiani ad Episcopos vniuersi Conciliorum Africanorum, Innocentij I. ad duo Concilia, Carthaginiense, & Mileuitanum. In quibus omnibus plane traditur, Ecclesiam Romanam Primatum habere omnium Ecclesiarum, & ad eam tanquam ad caput controuersias omnes, & causas maiores esse referendas. Vnde Leo I. & Gregorius I. multa praecipere scriptum de huiusmodi Primatu, pro quo eo tempore, & confirmando egregie decernunt, quos secuti sunt Nicolaus I. Hadrianus I. & Leo IX. Gregorius VII. Alexander III. & Innocentius III. qui quidem, & ipsi strenue, & fortiter eandem veritatem propugnauerunt.

In Concilio itidem Niceno I. Can. 4. & in Chalcedonensi quoque Synodo. Act. 1. Patres inique dicunt Leonem Apostolicum gubernare Thronum, & Sedem Romanam caput esse omnium Ecclesiarum. Act. 3. Leonem Romanum Episcopum, vocant Dominum nostrum, Apostolicum, & vniuersalem. In Concilio 3. Generali, Patres Apostolicae sententiae obediunt, & eam secuti, tanquam Catholicos recipiunt, quos ipsa recipit, & tanquam Haereticos condemnant, quos ipsa condemnat.

In Concilio 6. Generali. Act. 3. & 7. & 13. Synodica Agathonis Epistola mirifice commendatur, tanquam scripta à successore Petri Principis Apostolorum. In 7. Generali. Act. 2. recitatur Synodica Hadriani I. Epistola, & recipitur & approbatur, in qua tamen ipse Hadrianus aperte scripsit, Ecclesiam Romanam esse omnium caput Ecclesiarum. Synodus Romana, sub Synmacho, ut refertur. E. bene. dist. 96. faterur Romanam Sedem Antistitem, per vniuersum terrarum Orbem, Sacerdotij Primatum obtinere, statuitque Conciliorum tribuere firmitatem. Concilium Lateranense, sub Innocentio III. ut legitur. cap. de vniuersis, de sum. Trin. dicit Romanam Ecclesiam disponente Domino cunctorum fidelium esse ma-

triam, & magistratam. Idem tradit Concilium Lugdunense, sub Gregorio X. ut habetur cap. 1. de sum. Trin. in sexto. Idem Concilium vult in cap. ubi periculum est, in sexto. ait, Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, sub Ecclesiam Petri, vniuersalem Ecclesiam. Concilium Tridentinum, sess. 7. ait: Si quis dixerit in Ecclesia Romana, qua omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de baptisimo Sacramento doctrinam, Anathema sit. Concilium vero Florentinum; Definimus, inquit, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primatum, & ipsum esse B. Petri, Principis Apostolorum sui esse, & vniuersi Christianorum Patrem, ac doctorem, & ipsi in B. Petro passendi. Et quod emanat vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem tradidit esse, sicut in Actis Occumenicorum Conciliorum continetur. Sic ubi.

Neque vero sancti, ac veteres Patres aliter tradiderunt innumeris in locis, & aperte, & copiose: quibus ait Irenaeus lib. 3. cap. 3. Ad Ecclesiam Romanam, propter potestatem principalem, necesse esse omnium Ecclesiam conuenire, hoc est, eos qui sunt ubique fideles. Primatum Petri super totam Ecclesiam agnoscit Cyprianus lib. 1. in Epist. ad Cornelium, & lib. 2. Epist. ad Paganum, & tractat. de unitate Ecclesiae Catholicae, vulgo de simplici Primatum. Augustinus contra Epistolam Manichaei, cap. 4. Tenet me, inquit, in Ecclesia gremio ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui ascendit omnes suas Dominus commendauit, usque ad praesentem Episcopatum, Sacerdotum successio. Eundem Romanam Ecclesiam Patrum agnoscunt, idem Augustinus in Epist. 162. ad Cloarium, & Eleusium, & Epist. 106. ad Paulinum, & in 10. an. 56. & lib. 2. contra Pelagium, & Calixtum, & lib. 2. contra Donatist. c. 1. Ambr. in lib. de excessu iustitiae Satyri cap. 7. & Ser. 47. de fide Petri. Hieron. lib. contra Iouin. & lib. 1. contra Pelag. & in Epist. ad Damasum de nomine Hypostasis, cuius verba recitat Gratianus 24. q. 1. cap. Quoniam vniuerso ceteros prope innumerabiles breuitatis causa silentio praetermitto.

Sed obijciunt aduersarij; Primo: si Christi institutione Romana Ecclesia Primatum habet: quid est, quod dicitur in cap. Constantinus dist. 96. Constantinus Imperator quarta die sui baptisimatis, prius egrum Romanam Ecclesiam Pontifici contulit, ut in toto orbe terrarum Romanum Episcopum Sacerdotes haberent, sicut Laetius Regem. Et infra: Sancimus, ut Primatum tenent, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam; quam etiam super omnes in vniuerso terrarum orbe Dei Ecclesias, & Pontificem, qui pro tempore, ipsius S. R. E. exciterit, excitor, & Principis cunctis Sacerdotibus, & totius mundi existat. Vnde Paulus Diaconus libro quarto, de Historia Longobardorum, capite trigesimo sexto, scribit, Phocam Imperatorem sedente Papa Bonifacio Quarto, statuisse, ut Sedes Romana Apostolicae Ecclesiae caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Respondeo, eos Imperatores suo decreto fecisse, ut seruaretur ab omnibus vniuersis, & privilegium, quod erat a Christo domino Romanae Ecclesiae & eius Episcopo tributum: non igitur Imperatores fuerunt huius privilegij & iuris auctores, sed patroni, & Conseruatores. Et longe ante Phocam, Iustinianus Imperator in C. tit. de sum. Trin. dixerat, Ecclesiam Romanam esse caput omnium Sanctorum Ecclesiarum. In Authentica. Cellat. 2. titul. 4. dicit, summi Pontificatus apicem apud Romanam esse, nemo est, qui dubitet. Collat. 9. tit. 6. ait, Sancimus, secundum quatuor Synodorum definitiones, sanctissimum senioris Romae Papam primum esse omnium Sacerdotum.

Obijciunt itidem, in cap. In nouo, & in d. 1. in d. 1. in d. 1. prima, verba Anacleti, de Beato Petro loquentis: [Ceteri Apostoli, cum eo pari conuorsio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque principem esse voluerunt:] igitur Apostolorum institutione, & non Christi Iussu Romanus Pontifex Primatum in Ecclesia tenet. Respon-

deo; minime significare Anacletum illis verbis, Apostolos Primatum Petro detulisse, sed id eos voluisse, quod Christus ante decreuerat. tanquam diceret: Licet omnes potestate Ordinis, & Apostolica Legationis & munitis essent pares, libenti tamen animo ratum habuerunt, quod Christus instituit; ut videlicet, ipse Petrus esset omnium Princeps, hoc est, ordinaria iurisdictionis potestate primus, ac supremus.

Præterea objicitur, *In cap. Ego Ludouicus, distinctione sexagesima tertia*, haberi, *Paschalis Romanus Pontifex: B. Petri Vicarius*: ergo non à Christo proxime, sed à Beato Petro summam potestatem adeptus est, & *in cap. Constantinus*, distinctione 90. *Eligentes ait Imperator, nobis ipsum Principem Apostolorum, vel eos Vicarios sumos, apud Deum esse patronos*. Profecto non proprie Romanus Pontifex dicitur B. Petri, sed Christi Vicarius, & Beati Petri, successor. In eo tamen cap. ubi Ludouicus Imperator Paschalem Romanum Pontificem. Beati Petri Vicarium appellat, late Vicarij nomen sumpsit, quasi diceret: Tibi Paschali, qui Beati Petri successor es, cum Vicaria eadem potestate, quam ille diuinitus accepit. Eodem modo sumitur Vicarius *in c. Constantinus*: præsertim, cum aliqui codices non habeant, (*vel eius Vicarios*), sed (*vel eius successores*.)

Demum obijci solet, *in c. Concilia, distinctio 17*. scriptum esse: *Scientes quod Romana Sedi, primum Petri Apostoli meritum: deinde secunda iussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas singularum in Ecclesijs tradidit potestatem*: Ergo Romanus Pontifex Primatum accepit, tum ob Petri meritum, tum auctoritate Conciliorum. Respondet, ibidem dici, id esse tributum Romanæ Sedi, primo ob merita Petri, deinde iussu Domini. In quibus verbis alludit Symmachus Papa ad illud *in Euangelio, c. 21*. dictum à Christo, quem Petrus plurimum amabat: *Pascuus meus*.

CAP. XII.

An duo esse possint summi Ecclesie Pontifices.

Hanc questionem tractauit Glossa *in c. Non autem* 7. *quæst. 1.* & breuiter negauit esse posse. *teste Soto in quarto, dist. 24. q. 2. art. 5. teste quoque Gersono, in lib. de vita spiritali animæ lib. 2. c. 3.* nonnulli dixerunt, non esse improbabile, ut ecclesia duos summos Pontifices crearet, & habere queat. *Armaeanus, de quæst. Armen. lib. 7. c. 15.* ab eo minime dissentit, ut testatur Maior. *in quarto, dist. 24. q. 3. versiculo, sed contra hanc conclusionem*. Immo eodem teste Ocham *in Dialogis par. 3. ad finem* dicit: *Ex argenti admodum causa posset summus Pontificatus duobus aequaliter dari*. Sed improbabilis profus, & meo iudicio, pugnant cum iure diuino, & Christi Domini institutione hæc sententia est, ideo merito *Almainus de potest. Eccles. c. 5.* & Glossa, Gerson, Sotus, & alij oppositum tradiderunt.

Tribus modis fingi posset, duos summos esse Pontifices: Primo, ut summa potestas in duos diuideretur, quorum vnus in Oriente summa Ecclesie administratione potiretur, alter vero in Occidente, ut olim duo erant Imperatores, Orientalis nempe, & Occidentalis. Secundo, ut ex æquo singuli summam in Ecclesia potestatem haberent, ita ut vterque in solidum præficeret. Sic enim aliquando fuerunt duo Imperatores Augusti. Tertio, ut ambo simul Primatum tenerent, ita ut neuter sine altero quidquam posset, sed omnia simul ambo præstarent, & obiter. At nullo ex prædictis modo possunt duo esse summi Pontifices: nam quacumque tandem ratione essent duo, cum Christi institutione id manifesto pugnet, quippe, qui vnus tantum instituit. Deinde necessario fieret, ut summa Pontificis potestas ex parte minueretur. nam si duo primo modo crearentur, esset eorum potestas diuisa, ac proinde neuter ius haberet in alterum: neuter in to-

tum tractatum orbem: vnus omnia præstare non posset. Si vero secundo modo toti Ecclesie duo summi præficerentur, etiam vtriusque potestas minueretur ex parte. nam vterque esset Christi ouis, & tamen vnus non alteri præficeret, ac proinde neuter in vniuersas Christi oues potestatem haberet.

Accedit quod sicut Ecclesia nunc duos crearet, licet iam nunc vnus posset habere; ac propterea sequeretur, ut auctoritate sua Ecclesia summi Pontificis potestatem modo maiorem, modo minorem efficeret. Nec tertio item modo duo esse possunt summi Ecclesie Pontifices: neuter enim summam haberet potestatem, ut quia vnus sine altero nihil posset. At iniquis, duo possunt esse Imperatores, ergo, & duo Pontifices summi? Respondet, nullum Dei iussum ob stare, quo minus duo sint Imperatores, ob stare autem ne duo sint Pontifices summi. Similiter Romani quoque Pontificis auctoritate duo possunt certarum Ecclesiarum Antistes creati, quia nihil impedit diuina institutio: at non duo summi Pontifices, qui Ecclesie præfere vniuersæ. Deinde obijci quisquam: Duo interdum in Ecclesia Romani fuerunt Pontifices: nam viuente Liberio, factus est Pontifex Felix 2. & Petrus Linus, & Cletus, factos Episcopos sibi adiecit, & Clementem elegit successorem? Respondet, summum Pontificem posse Vicarium, vel Adiutorem eligere: tunc enim summa eius potestas nulla sui ex parte minuitur, siquidem penes Vicarium, vel Adiutorem, non ius ipsum, ac titulus potestatis, sed sola est administratio, & functio, & ea quidem ex libera summi Pontificis potestate pendens, & maior, minorue amplior, aut restrictior, prout ipse voluerit.

Quamuis item summus Pontifex successorem eligeret, non ideo tamen essent duo summi Pontifices, quia successor ante obitum Pontificis nullum ius, & titulum Pontificatus haberet; nisi forte ipse Pontifex adhuc viuens Pontificia se potestate abdicaret: tunc enim successor esset iure tituli summus Pontifex. Ad extremum, ortum in Ecclesia Schismate, duo pluresve pro summis Pontificibus habentur: sed hos Schismatis tantum causa facit, non iuris ratio, & norma. Viuente Petro Linus, & Cletus fuerunt eius adiutores, non Pontifices summi, & Felix dictus vulgo II. fuit Martyr, sed non legitimus Papa, quippe, qui viuente Liberio electus, & creatus est Pontifex.

CAP. XIII.

De iure quod in Generale Concilium summus Pontifex habet.

Primo queritur, An summus Pontifex sit Generali Concilio legitime conuocato iurisdictionis potestate superior. An vero è contrario? Diu multumque à Concilio Constantiensi, & Basiliensi inter Catholicos, tam Insuperitos, quam Theologos fuit agitata controuersia. Sit necne Romanus Pontifex maioris auctoritatis, quam Generale Concilium rite, & legitime congregatum ita ut Generale Concilium possit certis Legibus Papam obligare: An potius è contrario. Papa suis Legibus, siue Decretis Concilij obstringat. Cæpta est disputari ista controuersia à tempore Concilij Pisis coacti ad Pontificatum abrogandum Gregorio XII. & Benedicto XIII. anno salutis humanæ 1409. deinde est actiter discussa in Concilio Constantiensi, & Basiliensi: ac tandem in Concilio Lateranensi, sub Iulio II. & Leone X.

Dux fuerunt olim sententiæ Doctorum, quarum vna Concilio Generali maiorem tribuebat iurisdictionis potestatem. Ita sentit Cardinalis Cameracensis *in tractatu, de Potestate Ecclesie*, Gerson *in tractatu de potestate Papa, & in tractatu de Ausribilitate Papa*, quod ipsum etiam ante illos tradiderat Ocham *in suis Dialogis*; idemque postea confirmauit Almayn. *in tract. de potestate suprem. Ecclesie. 16.*

quam

quam sententiam secuti sunt vniuersi, teste *Almano, loco citato, Parisiensis Academiae Doctores*, nec ab ea recesserunt. Abulenti *super Matth. in prologo g. 10. & c. 18. art. 108. & in Defensor. p. a. 2. c. 69. Driedon. de dogmat. lib. 4. c. 4.* Sic etiam sentisse dicuntur in *Concil. Basiliensi. Ludouicus Romanus, Panormitan. & Nicolaus Cusanus Cardina-*

lis. Altera sententia Pontifici Romano superiorem detulit potestatem: hanc acerrime defendit *Turrecremata in summa. lib. 2. c. 5. 27. 36. 70. 94. & lib. 3. c. 28. & c. 30. & Augustinus Triumphus, de potestate Eccles. q. 6. ar. 6. & Iacobus de Concil. lib. 10. art. 1. & Aluarus Pelag. de Planctu Eccles. lib. 2. c. 35. & posteriores, Caietanus tom. 1. opusculorum, tract. 2. ca. 6. & sequentes, Cordubensis lib. 4. suarum questionum. in tract. de potestate. Papae. q. 4. in 3. opinione.*

Conuenit inter omnes Ecclesiae administrationem esse à Christo institutam Monarchicam, non Aristocraticam, vel Democraticam; ac prouide Chiuum inter Apostolos Petro, tanquam suo Vicario Primatum in ecclesia tribuisse, ac summam illam potestatem in Romanos Pontifices Petri successores transiisse: adeoque summam appellari, quia Romanus Pontifex habet ius in omnes ecclesiarum episcopos, & in omnes eorum ecclesias: Idem etiam Pontifex est in tota ecclesia summus, quia quoad non est Concilium Generale legitime coactum, ipse nullum agnoscat, nec habet superiorem cui parere cogatur. Cumque Generale Concilium non nisi aliquando, & certis ex causis conuocetur ideo Monarchica est ecclesiae administratio: siquidem Democratica ea est, cum semper, & non aliquando penes populum, est ordinata potestas: Aristocratica, cum penes plures omnium optimos semper, & non ad tempus potestas est: At in ecclesia, ordinata iurisdictionis summa potestas est penes unum Romanum Pontificem, quamuis secus esse videatur, quando ad tempus tota ecclesia generale Conuentum agit.

Præcipua igitur huius controuersie difficultas inter Catholicos, hæc est: An quando tota ecclesia est simul in generali Concilio congregata, maior penes Concilium, quam penes Romanum Pontificem iurisdictionis potestas, & auctoritas sit: atque hic coritur sententiarum varietas. Prima enim sententia tribuebat Concilio supremam potestatem. Secunda vero Romano Pontifici: eaque maior auctoritas in multis questionibus consistit. Prima est, An Generale Concilium, sine vlla Romani Pontificis auctoritate iudici, & conuocari queat. Secunda, An eo legitime conuocato, Romanus Pontifex, vel eius nomine alius præsidere debeat. Tertia, An Concilium legitime coactum totam suam auctoritatem proximè à Deo accipiat. An vero à Romano Pontifice. Quarta, An à Romano Pontifice, ad Generale Concilium appellari, & quis iure possit. Quinta, An Concilium possit leges, & decreta sancire, quibus ipse etiam Romanus Pontifex teneatur. Item, An Generale Concilium possit de causis, & peccatis cognoscere, & iudicare. Sexta, An Concilium certis ex causis possit aliquos eximere à Romani Pontificis potestate. Septima An si summus Pontifex contra totius Concilij sententiam aliquid sentiret in ijs, quæ ad Fidem, & mores pertinent, esse tunc potius Concilij quam Romani Pontificis sententiæ adhaerendum. Octaua, An summus Pontifex, absque Concilij auctoritate possit ipsum dissoluere, aut è loco ad alium locum transferre, aut in aliud tempus prorogare. Nona, An Concilium in ijs, quæ definit circa fidem & mores, sit ratum, & firmum, & cui subesse falsum non possit, absque Romani Pontificis confirmatione. In his omnibus prima sententia supremam Concilio olim tribuit potestatem. Secunda vero Romano Pontifici. Vtraque sententia suis olim nitebatur rationum firmamentis. Prior quidem potissimum Concilij Constantiensis auctoritate, *Sessio. 4. sic aientis: Hæc sancta Synodus Constantiensis in Spiritu sancto congregata legitime, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militanter repræsentans, potestatem à Christo immediate*

habet: cui quilibet cuiuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & excoriationem illi Schismatis, & reformationem Generalem Ecclesie Dei in capite, & in membris. Item, quod Sanctissimus Dominus noster, Papa Ioannes 23. Romanam Curiam, & officia publica illius, vel illorum Officiarios, ab hac Ciuitate Constantiensis ad alium locum, non mouet, aut transferat: alioqui si quidquam secus faceret sit irritum. Singula quoque translationes Prelatorum, aut priuationes eorundem, aut aliorum beneficiorum quorumcunque reuocationes, per prefatum Dominum nostrum, aut suos Officiarios in detrimentum Concilij, vel adhaerentium eidem à tempore recessus sui facta, nullius sint firmamenti. In Sessione 39. Constitutionem edidit huius intij: Frequens: vbi sic habet: Ea propter hoc edicto perpetuo ordinamus, ut amodo Concilia Generalia celebrentur, ita quod à fine huius Concilij in quinquagesimum proxime sequens, secundum vero à fine illius Concilij, in septimum immediate sequens, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis, quæ summus Pontifex, per mensem ante finem cuiuslibet Concilij, approbans, & consentiens Concilio, vel in eius defectum, ipsum Concilium deputare teneatur: ut sic per quandam continuationem, aut Concilium viget, aut per terminis pendentiæ expectetur, quem terminum liceat summo Pontifici fratrum suorum Cardinalium consilio, ob emergentes fortæ casus abbreviare, sed nullatenus prorogare. Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum, absque euidenti necessitate non mouet.

Confirmat hæc omnia Synodus Basiliensis, *Sessio. 1. & 18. & 19.* In quibus locis tria definit. Primo, inquit, *Hæc sancta Synodus legitime congregata in Spiritu sancto, declarat, quod ipsa Synodus Generale Concilium faciens, potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cuiuscunque status, etiam Papalis obedire tenetur. Secundo declarat, quod quicumque etiam si Papa existat, status huius Synodi, & cuiuscunque alterius Concilij Generalis legitime congregati super præmissis ad tria pertinentibus scilicet ad Fidem, Excoriationem Schismatis, & ad Generalem reformationem Ecclesie obedire contumaciter contemserit, nisi respuerit, condigna poenitentia subijciatur. Tertio declarat, quod ipsa Synodus Generalis, pro his tribus in Spiritu sancto legitime congregata, per nullum quauis auctoritate, etiam si Papali præfulgeat, dissolui, vel ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari debuit, aut potius dabat, aut potest. Hæc ibi.*

At secunda sententia innitebatur quoque auctoritate multorum aliorum Conciliorum. Tandem videtur controuersia sublata auctoritate Generalis Concilij Lateranensis, sub Leone X. quod *Sess. 21.* sic habet, *Solum Romanum Pontificem pro temporaria existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum aut dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nemum ex Sacra Scriptura testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifesto censat.*

Ex his perspicitur, cur Parisienses docuerint, & etiamnum doceant, maiorem esse penes Generale Concilium auctoritatem iurisdictionis, quam penes Romanum Pontificem: nimirum illi auctoritatem Concilij Constantiensis, & Basiliensis sequuntur: nam Basiliensis Synodus est in Bituricensi Concilio apud Gallos coacto & celebrato confirmata. At vero ceteri, quia non ex toto sed ex parte Constantiense Concilium, & Basiliense recipiunt, nequaquam eorum auctoritate permouentur. Constantiense quidem non recipiunt: quia non fuit semper Generale, cum tantum adesset, tertia pars Ecclesie; ij videlicet tantum Prelati, qui obediebant Ioanni. nam qui obediebant Greg. & Bened. repugnabant ijs, quæ hebant à Synodo, Basiliense autem, quia licet legitime inchoatum, non tamen fuit legitime continuatum: aderat enim initio Legatus Romani Pontificis, & Episcopi plerique, at quo tempore Eugenium deposuit, & Felicem elegit, non fuit legitimus, ut pluribus docet Bellar. no-

ster in lib. 2. de Concil. c. 19. & lib. 3. de Ecclef. milit. c. 16. ad se-
xtum argum.

Quia rursus Parisienses, immerito tamen, vt constabit
ex dicendis lib. seg. 6. 17. Lateranense Concilium, sub Leo-
ne X. non recipiunt, nisi quatenus conuenit, cum his, quæ
sunt in Bituricensi Synodo constituta: ideo eius auctori-
tate minime conuincuntur: præsertim cum in Decreto
citato, nullum verbum ponatur, quo Parisiensem, & ali-
orum sententia, tanquam hæretica damnetur.

Verum enimvero, nunc meo iudicio non solum longe
præstat secunda sententia, sed ea est omnino tenenda: vt
poterit in Concilio Lateranensi, sub Leone X. approbata,
vbi dicitur Romanum Pontificem, super omnia Concilia
auctoritatem habere: quomodo vero Concilij Constanti-
ensis, & Basiliensis decretum intelligatur, dicam in-
ferius.

Secundo quaeritur, An Generale Concilium Romani
Pontificis auctoritate sit conuocandum? Quamuis qui-
dam Iuris periti tempore Concilij Constantiensis, & Basi-
liensis id negare non dubitauerunt: constans tamen, &
certa est omnium fere sententia id iuris, & potestatis esse
penes Romanum Pontificem. Gratianus enim *totâ distincti.*
17. Sanctorum Patrum testimonijs demonstrat, Concilia
sine Romani Pontificis auctoritate cogi non posse. Syn-
odus Alexandrina, cui Athanasius interfuit, scribens Fel-
lici Pontifici Romano: *Scimus*, inquit, *in Nicæna magna*
Synodo ab omnibus esse roboratum, non debere absque Romani
Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos condemna-
ri. Marcellus I. in Epist. ad Orientales. *Ipsi*, inquit, *Apo-*
stoli & eorum successores Domino inspirante constituerunt, vt
nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis auctoritatem: nam
illius sedis Episcopus iudex est totius Ecclesiæ: nec aliquod iudi-
cium valet absque legitimo Iudice. Damasus I. *Nulla Con-*
cilia rata leguntur, quæ Apostolica auctoritate fulta non fuerint.
Pelagius I. in Epistola ad omnes Episcopos, qui contra
fas & ius omne Ioannem Constantinopolitanum Episco-
pum, Oecumenicum vocauerunt, sic ait: *Relatum ad Apo-*
stolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum Episcopum
Vniuersalem se scribere, vobis, ex hac sua presumptione ad syno-
dum conuocare Generalem, cum Generalem Synodorum conuo-
candarum auctoritas Apostolica Petri sedi, singulari Dei priui-
legio sit tradita, & nulla vniquam Synodus rata legatur, quæ
Apostolica auctoritate fulta non fuerit.

Postea subdit, non valere, quæ in eo Concilio acta sunt:
quia sine Romani Pontificis consensu facta fuerunt: *Cui*
in Petro tradidit, inquit, *Saluator, clauis Regni caelorum, ac*
proinde potestatem obediendi ea, quæ ad Generalem Ecclesiæ
spoliant, & propterea Concilia conuocandi. Hæc ille.

Hæc eadem Scripturæ auctoritate, vt ait Felix II. scri-
bens Synodo Alexandrinæ. Profecto meo iudicio, cum ex
Sacris litteris constet, Pemo, & eius successoribus datum
esse ecclesiæ Primatum, necessaria, & euident ratione in-
de colligitur, vt quæ ad generalem ecclesiæ salutem, sta-
tumque pertinent, sine Romani Pontificis auctoritate de-
cerni, aut sanciri nequeant: neq; enim sine capite corpus
mouetur, nec sine Rege Regnum, nec sine Rectore ciui-
tas, nec grex ouium sine pastore, nec sine Imperatore mi-
litum exercitus.

Sed primum obijciat aliquis, ex historijs ecclesiasticis,
Concilia auctoritate Imperatorum, aut iussu Principum
conuocata, vt habent *Canonis distincti.* 15. *cap. Canonis. cap.*
Sancta. & cap. sexta, & cap. habeo librum? Respondeo, ea om-
nia, & similia intelligi fuisse congregata, Imperatori-
bus, aut Principibus id postulantis, ad id hortantibus,
itemque suadentibus. monebant enim Episcopos, & in
primis Romanum Pontificem, vt id faceret: item fortas-
sis aliqui Imperatores Concilia conuocauerunt facto, non
iure. Obijciat deinde quis ex Luca *Act. 6.* sic dicente:
Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum,
dixerunt, Non est æquum, &c. Ergo non solius Petri, sed to-
tius Apostolici Collegij fuit Concilium conuocare? Res-
pondeo, tunc simul ab Apostolis coactum fuisse, non a-

liter, ac nunc etiam posset auctoritate Romani Pontificis,
consilio, & assensu Cardinalium, ac aliorum Anasiliticum
congregari: nec propterea sequeretur, vt non congre-
tur Concilium Romani Pontificis auctoritate.

Tertio quaeritur, Quibus ex causis possit, sine Romani
Pontificis auctoritate Generale Concilium conuocari?
Inter omnes conuenit, ex causa hæresis, in quam Roma-
nus Pontifex incurrit, Concilium Generale esse cogend-
um, hunc in modum: si hæresis manifeste conser-
& summas Pontifex admonitus non respiciat, & Gene-
ralem Episcoporum Conuentum recuset, iure potest,
eo inuito auctoritate Cardinalium, & Episcoporum,
& Imperatoris, Regum, vel Principum consilio, inualione,
& cura conuocari, vt tota criminis causa probe cogno-
scatur, & summus Pontifex conuictus, vel priuetur Pon-
tificatu, vel declaretur ipso iure diuino Pontificia digni-
tate deiectus, iuxta duas sententias de quibus dixi c. 7. q. 2.
& 2. An sit idem iuris, si Papa tantum sit de hæresi suspi-
ctus, vel iuris criminis infamia notatus, vel sit aut certo
credatur Hæreticorum fautor, defensor, vel receptor?
Respondeo, cum *Turrecremata* idem esse iuris in hac cau-
sa, quod de hæresi. Nam in *cap. Error, dist. 83.* dicitur: *Error,*
cui non resistitur, approbatur: & veritas, cum minima defuncti-
tur, opprimitur. Secundo si duo, pluresue de summo Pon-
tificatu ex aquo contenderent, ita vt vtriusq; ius sit incer-
tum, & dubium, penes Ecclesiæ potestas est, Concilium
conuocandi, vt schisma soluiatur, ita tamen, vt prius rite-
que monetur, vel tunc Concilium indicere: vtroq; vero
renuente, Cardinalium est, & episcoporum, & aliorum si-
milium concilium celebrare, vt communi ecclesiæ saluti
periclitanti consulari: ac ita coactum est concilium Pi-
sanum contra Gregorium XII. & Benedictum XIII. & in
eo creatus est Pontifex Alexander V. cui successit Ioan-
nes XXII. cuius postea auctoritate conuocatum Con-
stantiense concilium, in quo Gregorius XII. Pontificatus
sponte deposuit: Benedictus vero XIII. inuitus ab eo de-
iectus: & Ioannes XXIII. eo quod occulte fugere con-
reter, comprehensus est, in carcerem trusus, ac demum
Pontificatu nudatus. Tertio si post obitum præterea Pon-
tificis, Cardinales alium eligere recusarent, in potestate
est ecclesiæ, eos cogere ad Pontificem creandum. Vnde
in *c. Licet, de elect.* conceditur Primatijs vitis, vt eos vel in-
uitos in Conclauē intrudent, nec inde exire permittant:
& egressos, illuc confestim redire compellant. Quarto, si
Cardinales omnes casu aliquo (quem Deus auertat) mo-
rerentur, tunc vel iuxta quorundam sententiam, ad Cano-
nicos Lateranensis ecclesiæ electio pertineret; vel certe,
vt lites omnes, & dissidia tollerentur, concilium ab epi-
scopis non sine consilio, assensu, & cura etiam Principum,
esset conuocandum: cuius auctoritate Pontifex crearetur.
Sed quid si summus Pontifex, aut perpetuo amens fie-
ret, aut captiuus in hostium potestate veniret? Respon-
det *Turrecrem.* concilium cogi non oportere: quoniam
summus Pontifex, cum in perpetuam incidit amentiam,
quasi mortuus indicatur, ac propterea ecclesiæ suo Pasto-
re viduata quodammodo censeatur, & electio ad Cardi-
nales pertineret, essetque perinde, ac si Pontificia Sedes
vacaret. Atque eadem plane est ratio de Pontifice ab ho-
stibus perpetua in captiuitate detento, cuius scilicet redi-
mendi spes omnis Ecclesiæ esset adempta. Quærat ali-
quis, An idem quoque iuris sit, quando summus Pontifex
iureiurando promitteret se Pontificatum dimissurum?
num si postea deponere recusaret, posset auctoritate Con-
cilij eo spoliari? Respondeo, minime: nam etiam si voti
vel iuramentum ratione, Pontifex se Pontificatu abdicare
cogatur, penes Ecclesiæ tamen potestas non est, ei Pon-
tificiam dignitatem abrogandi.

Quarto quaeritur, An Romanus Pontifex in concilio
Generali per se, vel per alium nomine ipsius debeat præ-
sidere? ij, qui olim docuerunt, maiorem esse auctori-
tatem Concilij Generalis, quam Romani Pontificis, sen-
tiebant quoque oportere eum in sedendo, & senten-
tiam

tiam ferendo, primum locum tenere, sed Concilio in alijs præesse, non item. Quoniam Concilio Apostolorum Hierosolymis celebrato Petro præfuisse non legitur. Deinde, quia Concilium Generale proxime suam auctoritatem habet à Deo, & totius Generalis ecclesiæ auctoritatem refert, & continet: at maior est auctoritas ecclesiæ simul congregatæ, quam vnius Romani Pontificis.

Cæterum vera sententia est, quam cæteri communi fere consensu docuerunt. Romanus Pontifex præesse Concilio debere non solum, vt primas partes in sedendo, definiendo, & subscribendo teneat, sed etiam, vt totum episcoporum Conuentum sua ipsa auctoritate moderetur, & dirigat, & confirmet. Soli enim Petro clausus regni Cælorum sunt tradita, & vni illi dictum est: *Pascis oues meas; tuem & illud, Ego rogavi pro te Petro, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Præterea vnius capituli est toti corpori præesse.

Quinto quaeritur, An Generale Concilium suam auctoritatem, videlicet iurisdictionem proxime à Deo habeat, An vero à summo Pontifice? Qui olim sentiebant maiorem esse potestatem penes Concilium, quam penes Romanum Pontificem, constabant pariter auctoritatem Concilij, nequaquam à summo Pontifice derivari, sed proxime à Deo. Id colligebat ex eo, quod *Matth. 18.* Christus dixit Apostolis: *Quaecumque alligaueritis, &c. Quæcumque solueritis, &c. & Ioan. 20.* *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & reliqui rursus, Matth. 18.* *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* His accedit, quod Synodus Generalis, cum aliquid definit, ita dicere consuevit: *Visum est Spiritui sancto, & nobis:* ergo Deus in Concilio præest. Postremo, quia Constantiense Concilium *sess. 4. & 5. & 39.* aperte ait: *Hæc Synodus, in Spiritu sancto congregata vniuersalem Ecclesiam representans, immediate habet auctoritatem à Deo:* quod idem definiuit postea Synodus Basiliensis.

Cæterum eorum sententia vera, & certa est, qui docent Generale concilium habere iurisdictionis auctoritatem à Deo, sed per Romanum Pontificem proxime derivatam. Nam Romanus Pontifex, est iummus Christi Vicarius, est item totius Ecclesiæ caput: sed à capite in corpus omnis influxus, & motus derivatur, & manat.

Nec obstant oppositæ sententiæ argumenta: quoniam Apostoli fuerunt quidem Petro in potestate Ordinis pares, non tamen iurisdictionis auctoritate, eo quod summam Petrus ordinariam accepit, cæteri vero Apostoli non nisi delegatam, & commissam; & ideo ea in successoribus ipsorum non transfijt, nisi intercedente pariter expressio, vel tacito Petri, & suorum successorum consensu.

Ad auctoritates vero ex Concilio Constantiensi, & Basiliensi sumptas, Respondeo, eas locum habere, cum in ecclesia non est certus, & indubitatus Pontifex; duobus videlicet, vel pluribus eodem tempore pro summis Pontificibus habitis. Idem enim est, nullum esse in Ecclesia Pontificem, quod, nullum certum & indubitatum apparere. Ecclesia igitur, vel cum nullus est Pontifex, vel cum nullus est certus, vel cum nullus pro certo, & indubitato habetur, proxime habet auctoritatem à Deo eam scilicet, qua simul conuenire potest, ad summi Pontificis electionem faciendam: & Schisma abolendum.

Septimo quaeritur, Quid dicendum est, si Generale Concilium aliquid sentiat, quod ad fidem, & mores spectet, & Romanus Pontifex ab illo dissentiat, vri potius eorum adhaerendum sit: Parisienses Doctores, & alij olim sentiebant, concilij sententiam esse præferendam, quia maior sit Concilij, quam Romani Pontificis auctoritas: quod his illis argumentis euincere conabantur. Primum id ex eo Domini dicto deducebant: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et tandem subiungitur: *dic Ecclesiæ.* Vbi quilibet frater à recto aberrans ad iudicium Ecclesiæ, tanquam ad

tribunal vltimo deferretur. Ergo Romanus Pontifex totius Generalis Ecclesiæ iudicio subijcitur. Deinde Synodus Constantiensis, & Basiliensis definiere, omnes cuiuslibet status, etiam Papalis, statutus, & decretis ipsius Concilij parere debere. Postremo, maior est auctoritas totius, quam cuiuslibet partis: ergo superior est Concilij, quam Romani Pontificis auctoritas.

At verà, & certa sententia est eorum, qui oppositum tradiderunt, siquidem Romanus Pontifex, est caput ecclesiæ, & ipsi vni datum est, vt pascat gregem, ouile custodiat, Christi fratres confirmet, & tanquam fundamentum, ecclesiam sustineat: ergo ita est maioris ponderis auctoritas Romani Pontificis, vt ei sit adhaerendum potius, quam Generali concilio locus sentienti. Petro enim, & eius successoribus data est potestas, quæ ad fidem quæque ad mores pertinet, definiendi, alligandi, & soluendi.

Octauo quaeritur, An à Romano Pontifice ad concilium liceat appellare? Concedunt id quoque Parisienses, Concilio supremam potestatem tribuentes, vt patet ex *Almano, de suprema potestate Ecclesiæ. c. 16.* Hoc vero colligunt in primis ex eo, quod concilij Carthaginensis Patres, e quibus vnus quoque fuisse Augustinus perhibetur, Cælestino Pontifici scripserunt, admittendas non esse appellationes à Concilio ad Romanum Pontificem, eo quod id fuerit in Nicæno Concilio constitutum. At secus reuera sentiendum est, ob maiorem nempe Romani Pontificis, quam concilij auctoritatem: De Concilio autem illo Carthaginensi, Synodo 3. Constantinopolitana sic habet: *Inuenitur Africana Synodus paruisse potius iudicio Zozimi Romani Pontificis, ac propter hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Appiarium; non vultisse voto Romanorum Pontificum.*

Quod autem Africani concilij Patres dixerunt, in Concilio Nicæno fuisse decretum, ne ad Romanum Pontificem à Concilio fieret appellatio; sic habet: Appiarium Siccensis Episcopus, Synodi Aphricanæ auctoritate à sacris amotus, ab Episcopo Romano petijt, vt Ecclesiæ suæ redderetur Romanus Episcopus. Faustinum Ecclesiæ Potentinæ, in Prouincia Nicæna Episcopum, cum Presbyteris duobus in Africam misit vna cum litteris, hæc quatuor capita complectentibus: vnum de Appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem: alterum, ne ad comitatum Episcopi importune nauigent: tertium de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum causis, aut alijs apud finitimos Episcopos, si à suis perperam excommunicati fuerunt: quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam euocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Hæc Pontifex Romanus Zozimus, in libro Commonitorio, quem *Faustino Episcopo in Africam ad Synodum 6. Carthaginensem misso dedit,* in quo dixerat, In concilio Nicæno esse constitutum, vt esset in Episcopi Romani potestate, vel causam alicuius Antistitis ad se prouocantis, ab alijs Episcopis cognoscendam committere, vel è latere suo Presbyterum mittere, qui vna cum episcopis iudicaret, habens auctoritatem eius, à quo destinatus esset. Porro Faustinus Episcopus in 6. Carthaginensi Concilio his verbis vsus est: *Iniuncta nobis sunt à Sede Apostolica aliqua tractanda de Nicænis Canonibus, vt conseruentur, & constitutio eorum, & consuetudo, quia aliquo ordine, & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt.* Ita Faustinus eo loco.

Propter hæc Lutherani, & Caluinistæ Zozimum Romanum Episcopum facinorosorum hominum asylum, & falsatorem Nicænorum Canonum vocant: aiuntque Africanam concilij Patres ei restitisse, & ex Oriente Canones Nicænos detulisse; in quibus nihil continebatur de appellationibus Episcoporum ad Romanum Antistitem. Enimvero nihil est in hac parte, quod Hæretici nobis obijciant. In primis Canon 7. Concilij Sardicenis id definit, quod Zozimus Romanus Pontifex, & Faustinus eius Legatus contendebant. Verba Canonis sic habent: *Si Episcopus accusatus fuerit, & indicauerint congregati Episcopi*

Regionis ipsius, & de gradu suo eum deicere: si appellauerit qui dei. Quis est, confugerit ad episcopum Romane Ecclesie, & uoluerit se audiri, si iustum putauerit, ut renouetur & iudicium, vel discussionis examē, scribere ipsi episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Prouincia sunt: ut ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam uerum audiri, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, ut à latere suo Presbyterum mittat: erit in potestate episcopi quid uelit, & quid asserat. Et si decreuerit mittere eos, qui praesentes cum Episcopis iudicent habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt: erit in suo arbitrio. Si uero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant faciant, quod sapientissimo consilio suo iudicauerit. Hæc ibi Synodus. Neque uero multum peccauit Zozimus, si peccauit referens tanquam in Nicæno Concilio constitutum, quod fuerat in Synodo Sardicensi definitum. Nam ut ex Athanasio, principio Apologia secunda, Hilar. libr. de Synodis aduersus Arrianos, Seuerus Sulpitio lib. 2. sua historia Iustiniano in fidei confessione, quam ad Ioannem Papam 2. misit, constat, fuit Sardicensis Synodus Generalis ex Orientis, & Occidentis episcopis conuocata, & paulo post Nicænum Conuentum. Nec refert, si Græca exemplaria Nicænotum Canonum ex Oriente ab Attico episcopo Constantino-politano, & Cyrillo Alexandrino Præsule in Africam missa, huiusmodi Canonem non habuerint: potuerunt enim Romæ ueriora, & incorrupta ora exemplaria, ex quibus Zozimus Canonem Nicæne Synodi citauerit, exacte. Præterea Canon Nicænus sextus ordine, sic habet: *Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam & Episcopo Romano idem moris, & iuris est. Similiter autem & apud Antiochiam, & ceteras Prouincias honor suus unctique seruetur Ecclesie.* Ergo cum Nicæna Synodus præcipiat, ut mores antiqui retineantur, & seruentur: certus Romanus Pontifex suæ ecclesie more usque, ius, & potestatem in aliarum Ecclesiarum Antistes habebat. Nam Victor I. Episcopus Asiæ Pascha more Iudæorum celebrantes à Sacris, & societate piorum hominum amouerat: & Cyprianus Stephanum Roman. Pontificem hortatus fuerat, ut Martialem Episcopum Arelatensem de gradu deiciendum curaret: & Dionysius Alexandrinus Episcopus apud Dionysium Romanum Pontificem de hæresi causam dixerat: & Melchisedes Cæciliani Episcopi Carthaginensis causam cognouit. Ex quo intelligitur uere potuisse Zozimum dicere in Concilio Nicæno esse decretum, ut appellationes Episcoporum Romanus Antistes cognosceret: siquidem definiuit, ut cuiusque ecclesie antiqui mores seruentur: & ueteri more Romanus Episcopus iam huiusmodi appellationes ante Concilium cognouerat.

Nono quaeritur, An Romanus Pontifex Generale Concilium iure possit in alium locum transferre, vel ad aliud tempus prorogare, aut omnino dissoluere? Parisienses quoque Doctores huiusmodi potestatem Romano Pontifici negant: præsertim inquit, si Concilium statum, & certa tempora constituerit, in quibus in posterum celebrari concilia debeant: ut si legem tulerit de Concilio decimo quoque anno conuocando. Verum tamen certi iuris esse uidetur, id potestatis esse in Pontifice Romano, quoniam est summus Ecclesie Pastor, & caput: ergo non potest Concilium legem præscribere, quia ipse teneatur. Ex quo etiam fit, ut iure possit Concilij Generalis Canones, & decreta, quæ ad Fidei regulam non pertinent, mutare, restringere, relaxare, denique, vel ex toto, vel ex parte abrogare. Nec potest Generale Concilium suis legibus, vel Canonibus Papam ligare, sicut nec familia patrem, nec Regnum Regem. Nec item potest aliquos eximere à potestate, & iurisdictione Papæ: non enim potest esse membrum, quod non sit capiti subiectum.

Decimo quaeritur, An Concilij Generalis decreta obligationem inducant, nisi Romani Pontificis auctoritate confirmetur? Parisienses Doctores negant Generale

Concilium vlla indigere Rom. Pont. confirmatione. At enim Concilia hæcenus celebrata, Rom. Pont. confirmationem postularunt, & ab eo confirmata sunt, quorum nunc in ecclesia concilia auctoritatem habent. & id fieri oportere, ratio ipsa naturalis posita Christi Domini institutione suadet. Nam Petri est frater confirmatus; & capitis est corpori vitam, actionem, & motum dare; non è contrario. Caietanus in Apologia part. 2. cap. 21. Turresemata li. 3. c. 32. 33. 34. & 38. & Bellarm. lib. 2. de Concilio auctoritate, c. 12.

Vndecimo quaeritur, An Generale Concilium, antequam Romani Pontificis auctoritate confirmetur, sit certa Regula definiendi, quæ ad Fidem, & mores spectant? Parisienses hanc auctoritatem concilio Generali deferunt, quod probat Abhinus tractat. de Suprema potestate Ecclesie scilicet 17. alij contra Romano Pontifici, vt Turresem. in sum. lib. 3. c. 6. 8. & 37. Caiet. to. 1. opusculorum tract. 1. c. 8. & par. 2. Apol. ca. 9. & 10. Canus de locis Theol. lib. 5. ca. 9. Silu. in uerbo Concilium q. 2. & 10. Alij uero neque Concilio, neque Romano Pontifici, sed toti ecclesie ex Concilio, & Romano Pontifice conuocato. Alij denique utique tribuant, uidelicet Romano Pontifici, & Concilio, vt Cordubensis, lib. 4. suarum questionum tract. de potestate Papæ, q. 1. Meo iudicio, uera sententia est, id soli Romano Pontifici conuenire. Vni enim Petro dictum est: *Ego rogauit pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerfus confirma fratres tuos: eidem illud quoque: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non preualdebunt aduersus eam.* Dicendum in idem existimo, ut colligi uidetur ex S. Thoma secunda secunda q. 1. ar. 10. quidquid Parisienses, & alij docuerunt, Fidei dogmata definiendi certam, & indubitatam normam, ac regulam esse penes Romanum Pontificem ratione muneris, & officij sibi diuinitus iniuncti, non autem ratione personæ, uidelicet esse penes eum, vt est Christi Domini Vicarius, vt est totius ecclesie Pastor, Rector, & Caput. Nec admittenda est eorum sententia, qui dicunt penes utrumque, uidelicet Romanum Pontificem, & Generale Concilium esse Regulam firmam, & certam definiendi res fidei: alioqui enim essent in Ecclesia duo tribunalia ad dogmata Fidei definienda, cum tamen sit vnum caput scilicet Papa, & Concilium in definiendo subijcitur Papæ, & ab eo confirmatur, ut docet Silu. in uerbo, Concil. q. 2. conclus. 2. ex S. Tho. & Turresemata.

CAP. XIV.

Alia quaestiones de Romani Pontificis potestate diluuntur.

Primo quaeritur, Quid iuris, & potestatis habeat Romanus Pontifex in ceteros omnes Ecclesie Antistes? hoc est, An singulorum Episcoporum iurisdictione à Romano Pontifice deriuetur, ac pendeat? Græci concedunt, quinque esse totius ecclesie Primarios ac præcipuos Patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, & inter hos Romanum Ordinis quidem, & dignitatis, sed non potestatis primatum habere: Ita ut in Concilijs, & Conuentibus Oecumenicis primum locum in sedendo, sententiam dicendo, suffragium ferendo, & subscribendo tenere debeat, sic tamen, ut nihil iuris, & potestatis in alios quatuor Patriarchas, præsertim Constantinopolitanum habeat. Id ex concilij Nicæni Canone sexto deducunt, ubi statuitur, vt Alexandrinus Patriarcha in ecclesijs sibi subiectis eandem habeat auctoritatem, quam Romanus in Occidentis ecclesijs: & ut cuique ecclesie sui veteres mores seruentur. Accedit, quod nonnullæ ecclesie Romano Pontifici parere recusarunt. Nam in Italia id fecerunt aliquando Raucennates, & Mediolanenses Episcopi, in Africa Carthaginenses. Postremo, quia concilia generalia Constantinopolitano Episcopo Primatum

in Oriente tribuerunt. Sed certe dubitari non potest quin fuerit a Christo in Beato Petro Pontifici Romano suprema in alios Episcopos potestas data, Siquidem Petro dictum est, *Pasce oves meas, & Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, illud etiam, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hanc eandem veritatem multis sane, & grauissimis Beati Gregorij in primis testimonijs confirmare possumus. Ait enim lib. 6. *Indict. 2. Epistola 65. De Constantinopolitana ecclesia, quod dicunt, quis exis dubites Sedi Apostolica esse subiectam: Quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assidue presententur.* Et epistola 64. eiusdem libri: & indictionis: *In quodam crimine, inquit, Byzantorum. Primum fuerat accusatus: & cum piissimus Imperator iuxta Canonica statuta per nos uoluit indicari. Postea subiungit: Nam quod idem Primas dicit se Sedi Apostolica non subiecti si qua culpa in episcopo inuenitur, nescio quis ei episcopate subiectus non sit. Cum uero culpam non exigis, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.* Libro quoque 11. *Epist. 46. Eulogium Patriarcham Alexandrinum monet, ut Simoniacam heresim funditus euellat, & erat a Sanctissima Sede Alexandria, que (inquit Gregorius) nostra est. Rursus lib. 5. Epist. 27. significat se usum Pallij Austasio Patriarche Alexandrino concessisse. Eodem lib. Epist. 60. ad Eulogium Alexandrinum scribens, ait: Semper ad magistrum sui criminum uide illi predicatio salutis exorta est, tota se conserre deuotione seruimus, Libro 2. Epistola 17. ad Natalem episcopum Salonitanum: *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis scilicet, sine graui scandalo, tanta contumacia transire non potuisset: Eodem libro Indict. 11. Epist. 30. Apostolica Sedes Deo auctore cum dicit prelati constat Ecclesie lib. 1. Indict. 9. Epist. 71. Quanto Apostolica Sedi ab Ecclesijs reuerentia catervis exhibetur, tanto eam de eorum dicit esse salute sollicitam. Idem Gregorius P salmo quinto Penitentialis explanans illum uersiculum: *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, ad finem loquens de ecclesia Constantinopolitana, in hunc modum scribit: In tantum autem sua temeritate extendit uisum, ut capui omnium ecclesiarum sibi uendecet. & in Domina gentium terrena sui potestate usuper. Quod omnino ille se prohibuit, qui hanc Beato Petro Apostolo specialiter commisit: dicens: Tibi dabo ecclesiam meam. Obstruatur ergo os loquentium iniquis, & omnis Hereticorum acies obmutescat: quia nullas uires habet quod ipsius uoce ueritate inuenitur destrui.***

Rursus lib. 4. *Indictione 14. Epistola 32. Cunctis, ait, Eulogium scientibus liquet, quod uoce Dominica sancto, & omnium Apostolorum, Petro principi Apostolo totius Ecclesia cura commissa est. Ipsi quippe dicitur. Ecce Satanas expetruit ut tribuaret uos sicut triticum, & Ego rogauis pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur. Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non preualebunt aduersus eam: Et tibi dabo clauis Regni Caelorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Ecce clauis Regni caelorum accipit: potestas enim ei ligandi, & soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesie, & Principatus committitur. Libro Sexto Indictione 15. Epistola 37. scribit ad Eulogium episcopum Alexandrinum de quatuor Patriarchalibus Sedibus in hac uerba: *Suausissima mihi Sanctitas uestra, multa in Epistolis suis de Sancti Petri Apostolorum Principis cathedra locuta est dicens, quod ipse in ea nunc usque, in suis successoribus sedeat. Et paulo post: Quis enim nesciat Sanctam Ecclesiam Apostolorum Principis soliditate firmatam quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra uocaretur, cui ueritate uoce dicitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et iterum: Simon Ioannis amas me? Pasce oves meas. Itaque cum multi sine Apostoli, pro ipsorum Principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit. Certe qui legerit omnes Epistolas Gregorij, inueniet ipsum Gregorium iure & potestate usum fuisse in omnes episcopos. In primis in Antifides Italiae. Nam lib. 1.**

*Indictione 9. Epistola 16. iubet Gregorius ad B. Petri Apostoli limina Aquileiensem Episcopum, cum suis sequacibus venire, ut in Synodo quod iustum est, iudicetur. Epistola 19. Episcopus, inquit, Cumanus solemniter electus, ad nos sacrandus occurrat. Epistola 22. eiusdem libri monet Ioan-nem Episcopum Rauennatem, ut grauiora queque ad Sedem Apostolicam referat. lib. 1. Indict. one 10. Epist. 31. vnit Cumanam atque Mustitanam ecclesias sua auctoritate, Epist. 20. vnit Ecclesiam S. Anthonij Numentano Episcopo. Epist. 15. hortatur Neapolitanos, ut eligant Episcopum, qui Romae ordinetur. Eodem libro 2. Epist. 1. Indict. 11. Scholastico Campaniae Iudici inuixit, ut peruersitatem in Paulum Episcopum committam, districta commendatione corripere. Epist. 26. Mediolanensem presbyterum a Laurentio Episcopo Mediolanensi immerito excommunicatum; officio suo restituit. Epistola 29. & 30. ait: Ioannem Subdiaconum nostrum transmimus, ut electum uirum sua imminetia, secundum morem predecessoris eius, a proprijs Episcopis, nostra auctoritate assensu faciat Episcopum consecrari. Libro sexto Epistola decimo tertia, Fauensis Episcopus petit, ut auctoritate Apostolica liceat ei pro redemptione captiuorum sacra uasa uendere: quod Gregorius concessit. Libro septimo. Indictione secunda, Epistola decima, ad Episcopum Rauennae scribit, ut de causa Maximi Salemitani Episcopi cognoscat: *Ut si Maximus habeat tuam Paternitatem suspectam, etiam Reuerendiss. uir frater noster Constantius Mediolanensis Episcopus Rauennam ueniet, & de eadem causa pariter decernere. Libro vndecimo Indictione sexta, Epistola 33. Anthonio Subdiacono Campaniae sic scribit: Hac tibi auctoritate precipimus, ut si quem Episcoporum Campaniae posthac negligentem esse cognoueris ad nos eum sine aliqua excusatione transmittas, ut quam sit graue nolle ab his, qua reprehensibilia sunt, corrigi, regulari in se ualeat distractione sentire.**

Item in Episcopo Siciliae eadem usus est potestate lib. 1. Epist. 1. scribens: *Petro Subdiacono Sedis nostre intra Prouinciam Sicilia uices nostras Deo auxiliante commisimus, sicut predecessorum nostrorum fuit iudicium. Libro secundo, Indictione decima, Epistola quarta: Maximum Episcopum Syracusanum super cunctis Sicilia Ecclesijs, uices Sedis Apostolica ministrare decernimus, ut non sit necesse pro paruis causis Romam ire: sed difficulta solummodo nostrum iudicium flagitent, ut subleuati de minimis, in causis maioribus efficacius occupemur. libro sexto, Indictione 15. Epistola 19. Nonit dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres, & Coepiscopi nostri semel in triennio Romam de Sicilia conuenirent.*

Item in Episcopos Corsicae, lib. 1. Indict. 9. Epist. 76. *Leoni Episcopo in Corsica: Pastoralis nos cura constringit Ecclesia Sacerdotis moderamine destituta, sollicita consideratione succurrere. In Ecclesia Senonensi Diaconos, & Presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam.*

In episcopos Sardiniae, lib. 7. Indict. 2. Epist. 2. *Calartanus episcopus in Sardinia petijt personam, a latere Gregorij destinari, cui causas Gregorio referendas insinua-ret.*

Item in episcopos Africae li. 1. Indict. 9. Epist. 72. ad Genadium ex Concilio Numidia: *Si qui ad Sedem Apostolicam venire uoluerint, permittite: & contradicentibus eorum uia obuiate lib. 1. Indict. 10. Epistola 33. Constantius & Mussellus Maximianum ecclesiae Pudentianae in Africa episcopum, apud Sedem Apostolicam accularunt, quod praemio Donatistarum corruptus, episcopum Nouatensem noua licentia fieri permisit. Vnde Gregorius Columbo episcopo mandat, ut aduocato episcoporum uniuersali Concilio, si reus conuincatur, a dignitate officioque degradetur libro septimo, Indictione prima Epistola 32. ad Dominicum Carthaginensem Episcopum: *Sedam, inquit, Apostolicam diligendo, ad officij nostri originem recurristis, scientes unde in Africanis partibus sumpsit ordinatio Sacerdotalis exordium. lib. 10. Indict. 5. Epist. 8. Donadeus Diaconus a Victore Numidia episcopo, sui officij gradu deiectus, querelam apud Gregorium deposuit, qui Columbo**



Numidæ episcopo sic scribit: *Vna cum Primatæ Concilij, vel alij fratris. Coepiscopi que nostris omnia, qua petito eius continet, diligenti vobis examinatione quarèda sunt. Et si que- rela eius veritate fulciatur, in episcopo eius Victore Canonici rigo- ris districtio teneatur. Et in Epist. 32. cum Paulinus Regens episcopus in Numidia ecclesiasticos ordines per Simonia- cam hæresim dare diceretur: Gregorius rem Columbo episcopo Numidiæ, & Victori, qui primus ibi locum tenuit, examinandam commisit.*

Item in episcopos Hispaniæ libro 11. Indictione 6. epist. 50. Ioanni defensori eunti in Hispaniam: *Is inquit, qui eo superflite episcopus peruerse, ac contra Canones in Ecclesia eius ordinari præsumpsit, sacerdotio priuatus ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur, qui etiam in custodia habeatur, vel ad nos transferatur. Episcopi vero qui eum ordinauerunt, sex mensibus Dominicæ corporis, & sanguinis communionis priuati, agere penitentiam in Monasterio decernantur. Et Epist. 53. idem Ioannes ait: Ex deputatione, & iussione Beatissimi atque Apostolici Domini mei Gregorii inter episcopos cognitor reledi, & memoratos episcopos in Monasterium recipiendos ad agendum in tempus penitentiam decerno.*

Item in episcopos Hyberniæ, libro nono, Indictione quarta Epistola 61. ad Quintum episcopum, & cæteros in Hybernia Antistites, ita scribit: *Lator presentium ad Beatissimi Petri Apostolorum principis ecclesiam veniens, fraternitatis vestre se afferuit ad nos epistolam accepisse: in quibus sicut ipse ait, studius inquirere, Sacerdotes ac plebes qua Nestoriana hæresos errore confusa sunt, cum ad matrem electorum omnium Catholicam ecclesiam reuertuntur, utrum baptizari debeant.*

Item in episcopos Angliæ, lib. 12. Indict. 7. epist. 15. Aug. episcopus Anglorum scribit, vt per loca singula, duodecim episcopos ordinet, quatenus Londinensis episcopus ciuitatis, honoris pallium ab hac Apostolica Sede percipiat, Eboracensis quoque episcopus duodecim episcopos, ordinet, & Metropolitani honore perfruatur. Sed tua fraternitas omnes Britannia Sacerdotes habeat subiectos. Et Beda in Histor. Eccles. Anglorum lib. 2. ca. 1. B. Papa Gregorius, inquit, cum primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis, iam dudum ad fidem Veritatis esse prælatos Ecclesijs, & reliq.

Item in episcopos Galliæ lib. 4. Indict. 13. Epist. 51. 52. & 53. ad petitionem Regis, Virgilium Arelatensem episcopum facit suum Legatum in Regno Childeberti Regis Galliarum, iuxta antiquum morem, nam Epist. 51. sic ait: *Quia cunctis liquet, vnde in Galliarum Regionibus fides sancta proderit, cum præsentem consuetudinem Sedis Apostolicæ fraternitas vestra repetit: quid aliud, quam bona soboles ad sinum matris Ecclesiæ recurrat: & Epist. 52. Quia vnumquodque tunc salubriter complectur officium, cum fuerit ad quem possit recurri Præpositus, idcirco opportunum esse perspeximus, in Ecclesijs, qua sub regno præcellentissimi filij nostri Childeberti Regis sunt secundum antiquam consuetudinem, patri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis episcopo vices nostras tribuere, quatenus, & Catholica fidei integritas, Deo protegente, sollicita deuotione seruetur. Et si inter fratres consecratos que nostros aliqua euenit forte contentio, auctoritatis sua vigore, vicibus vtempe Sedis Apostolicæ functionis, discretæ moderatione compescat. Cui etiam inuincimus, vt si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit: congregatis sibi in numero competenti fratribus, & Coepiscopis nostris, salubriter hoc seruati aequitate discutat, & Canonica integritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe facias Diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit aut negocium emerferit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, & relatione sua ad nostram student, erudere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. lib. 7. Indict. 2. Epist. 112. vltim. pallij concessit episcopo Augustudunensi: Hoc, inquit, pariter perspeximus concedendum, vt Ecclesia ciuitatis Augustudunæ post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum, & ordinem ex nostre auctoritatis indulgentia vindicare.*

In Episcopos Dalmatiæ lib. 1. Indict. 9. epist. 19. monet Salonitanum episcopum, vt Honoratum Archidiaconum in suum gradum restituat: alioqui se, quod iustum est, decreturum, lib. 11. Indict. 10. epist. 14. Natalem Salonitanum per pallij, communionisq; priuationem compellit, vt restituat Honoratum Archidiaconum in locum suum: quod ni fecerit, se inquiturum, an in episcopatu ipso persistere debeat. Eodem lib. Indict. 11. Epist. 22. Antiocho rectori pattimonij, in Dalmatia: *Facto, inquit, in personam, qua fuerit electa decreto, ad nos transmittit, vt cum nostra consensu, si eius præfatus fuit temporibus, ordinetur, lib. 4. Indict. 14. epist. 9. episcopis per Illyricum scribit, vt Ioanni quem confirmat, vel delegato Sedis Apostolicæ obediatur, lib. 1. Indict. 14. Epist. 26. Debusis repulsam cognoscere, quem Sedes Apostolica repellat, & Epist. 48. eadem Indict. & lib. 2. Quos Apostolica Sedes in communionis sua consortium non recipit, charitas vestra omnino refugiat.*

In Episcopos Corcyræ lib. 12. Indict. 7. Epist. 2. Quoniam frater noster Nicopolitani Metropolitani sententiam tuam, Galsiopi castrum sub iurisdictione ecclesiæ tuæ quemadmodum semper fuit debere persistere: formam eiusdem sententiæ comprobantes Apostolica Sedes auctoritate eam fauente iustitia comprobamus confirmamus, atque per omnia robustam manere decernimus. Et ex epistola octaua eiusdem libri constat sententiam GREGORII ad effectum esse perductam.

In Episcopos Græciæ lib. 2. Indict. 2. epist. 6. relicto Ioanne episcopo primæ Iustinianæ ciuitatis decretis, ex B. Apostolorum Principis auctoritate decreuit, eum triginta dierum spatio communionem priuatum, & Adrianium Thebanæ ciuitatis Episcopum, à dicto Ioanne damnatum, in suum locum, & ordinem restituit. Eodem libro, Epist. 8. Sancta, inquit, memoria decessor meus, Adrianum Thebanæ ciuitatis Episcopum, Ecclesiamque eius de potestate Ioannis ciuitatis Larissæ exemit: quam exemptionem Gregorius ipse confirmat, imperans, vt si quæ causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersus Adrianum eueniat, si mediocritas est, per responsales suos in Vrbe Regia cognoscatur, si ardua est, Romæ ad Apostolicam Sedem definienda deferatur. lib. 4. Indict. 13. Epist. 15. Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ ciuitatis scribens, ait: *Pallium ex me transmittimus, & vices vos Apostolica Sedes agere iterata innovatione decernimus, eodem lib. & Indict. Epist. ad Ioannem Corinthiorum Episcopum. Secundinus episcopus Apostolicæ Sedis Legatus, ita damnauit Anafasium Episcopum, vt quosdam personas episcopi Romani arbitrio reseruaret. Eodem lib. & Indict. Epist. 55. mittit pallium Ioanni Episcopo Corinthiorum, & ait: Sicut prædecessores nostri prædecessoribus vestris concesserunt. Eodem libro, & Indict. Epist. sequenti, episcopos per Hella da constitutos iubet Corinthiorum episcopo parere. Libro 5. Indict. 14. epist. 7. episcopis Epiri significat se cuncta priuilegia. Andreæ episcopi confirmasse: Quia prædecessores, inquit, nostri eius prædecessoribus contulerunt. lib. 10. Indict. 5. Epist. 36. ad episcopum Scodritanum: Ioannes, inquit, primæ Iustinianæ ciuitatis episcopus seruat vices nostras.*

Hæc omnia late, & fulse ex Gregorio referenda iudicauimus, vt feruens studium eius sancti viri, & pontificis, in Romanæ ecclesiæ Primatu defendendo, & vindicatio manifeste constaret. Ex quibus omnibus perspicitur, quo pacto Gregorius sua auctoritate, ius vniuersis Episcopis dixerit, & non solum Occidentis Præfulibus, tanquam Occidentalium ecclesiarum Patriarchis, sed etiam omnibus Græciæ episcopis, immo quatuor etiam in orbem terrarum præcipuis Patriarchis. Deinde apparet, eum sua auctoritate, episcopatus vnisse, & coniunxisse: per vniuersas Prouincias Nuncios, & Legatos habuisse, tot ac tantis episcopis vltim. pallij concessisse, & ipsum hæc facere suorum antecessorum more atque instituto.

Et certe ex Leonis I. etiam Epistolis, hæc eadem & similia colliguntur. Nam Epistola 55. ad Pulcheriam Augustam de ambitu Anatoliæ scribens ait: *Consulentes Episcoporum, Canonum sanctorum, apud Nicæam conditorum*

Regulis repugnantes, unita nobiscum vestra fides pietate in ir-
ritum mittimus: Et per auctoritatem B. Petri Apostoli genera-
literis definitione cassamus. Epi. 53. ad Anatolium episco-
pum Constantinopolitanum, ipsum arguit, quod con-
tra Nicenae Synodi Canones Alexandriam, & Antio-
chenam Ecclesias sibi subesse voluisset, & earum ecclesi-
arum episcopos ordinare. Epist. 62. ad Maximum Antio-
chenum episcopum Dece te, inquit, Hareticus auctoritate
Sacerdotali vestro, nosque saepius de profectu Ecclesiarum tuis
relationibus: quid agatur instruere. Epist. 84. Anastasio episco-
po Thessalonicensi scribit: Sicut praefores meos praefores
tuis; ita ego dilectioni tuae priorum secutus exemplum;
vices mei moderaminis delegavi, ne curam quam uniuersis
Ecclesijs principaliter ex Diuina institutione debemus, imita-
tori nostra mansuetudinis affectus adiunaret. Et longinque ab
Apostolica Sede Praeuentiam quodammodo nostra vis-
itationis impenderet. Et prope finem ait: Inter Beatissimos
Apostolos, in similitudine honoris; fuit quaedam discretio po-
testatis cum omnium Apostolorum par esset electio, cui tantum
datum est, ut ceteris praeremeret. De qua forma, Episcoporum
quoque est orta distinctio, ex magna dispositione prouisum est,
ne omnes sibi vendicarent, sed essent in singulis Praeuentiam sin-
guli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rur-
sus quidam in maioribus Urbibus constituti sollicitudinem
susciperent ampliorum, per quos ad vnam Petri sedem, uniuersa-
lium Ecclesia cura confunderet, & nihil usque à suo capite disti-
deret. Rursus in Epist. 75. ad Leonem Augustum: Cum uni-
uersalis Ecclesia per illius principalis, id est, Christi edificatio-
nem, facta sit petra, & primus Apostolorum Beatiss. Petrus vo-
ce Domini audierit: Tu es Petrus, & super hanc petram aedi-
feco Ecclesiam meam: quis est, nisi Antichristus, aut Diabolus,
qui pulsare audeat inexcipubilem veritatem? Epist. 6. ad
Iulianum episcopum Coensem: Christianissimus Principe
ad nos Epistolam dedisti, interueniens pro Anatolio (Episcopo
videlicet Constantinopolitano) ut nostri animi gratia
illi prebeatur: quoniam correctionem eius promissit, & in om-
nibus se satisfacturum esse, quae ad obsequium Fidei perti-
nent, pollicetur. & Theodor. Cypri Episcopus ad Leonem
scribit: Alexandrinus Praeful Discors nos condemnavit,
ut voluit: eo autem Apostolica vestra sedis expecto senten-
tiam, & iustum vestrum appello iudicium. Ante omnia rogo,
ut sciam à vobis, an in hac iniusta dispositione oporteat acqui-
escere, an non. Idem Leo in Epist. 63. ad Theodoretum, respon-
det: Agnosceamus dilectionem tuam sperno adiutorio nobis-
cum, tam Nestoriana, quam Eutychiana impietatis extitisse
videntes. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui nul-
lum nos in nostris fratribus derimentum sustinere permisit: sed
qua nostro prius ministerio defuerant, uniuersa fraternitatis
irretractabili firmavit assensu, ut vere à se prodissis offenderit,
quod prius à prima omnium sede firmatum, totius Christiani
orbis iudicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra con-
cordent. Et post: In hoc quoque tuae vigilantia sollicitudine
voluimus adiunari, ut tua relatione curante quid apud Eut-
ychianos, ac Nestorianos religionis doctrina Dominica prohibe-
atur, Apostolicam Sedem festines instruere. Item Leo in Epist. 89.
ad episcopos Viennensis Praeuentiam scribit: Praedicationis Eu-
angelij Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum
efficiam pertinere voluit, ut in Beatiss. Petro Apostolorum om-
nium, suum principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam
capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem
se mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset à Petri
soliditate recedere. Ac subdit: Hanc petra istius solidissimam
firmitatem, Deo edificante constructam nimis impia vult pre-
sumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere.
Postea subiungit: Nobiscum itaque vestra fraternitas reco-
gnoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestra etiam
Praeuentiam Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam,
& pro diuersarum, quemadmodum veteris consuetudo posebat,
appellatione Causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse
iudicio: Adeo, ut seruata unitate Spiritus in vinculo pacis, com-
muni hinc inde literis, quod sancte agebatur, perperua
praeficere charitati, quam sollicitudo nostra, non sua quarens, sed

qua sunt Christi, dignitatem diuinitus datam, nec Ecclesijs,
nec Ecclesiarum Sacerdotibus arrogabat. Sed hinc transtem
semper inter maiores nostros, & benetantum, & salubriter
constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sa-
cerdotum nouis praesumptionibus turbaturus, excussit, ita nos
sua cupiens subdere potestati, ut se B. Petro Apostolo non patia-
tur esse subiectum ordinationem sibi omnium per Gallias Ec-
clesiarum vendicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus,
in suum ius transferens dignitatem; ipsius quoque Beatiss. Pe-
tri reuerentiam verbis arrogantis minuendo. Cui cum pra-
ceteris solvendi, & ligandi tradita sit potestas: pasceolarum & a-
men omnium cura specialis mandata est. Cui quisquis Principa-
tum astatem denegauit, illius quidem nullo modo potest mi-
nuere dignitate, sed inflatus spiritu superbiae suae, semetipsum in
profunda demergit. Et post: Nec vltra Hilarius audeat Con-
uentus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini iudicia se in-
terferendo turbare, qui non tantum nouerit se ab alieno iure de-
pulsam, sed etiam Viennensis Praeuentiam, quam male usurpauit,
potestate priuatum. In Epistol. 93. ad Turibium Episco-
pum Asturicensem in Hispania cap. 17. Dedimus litteras ad
fratres, & Coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses
Lusitanos, & Gallacos, etique Concilium Synodi Generalis in-
diximus. Ad tuae dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostrae
ordinationis auctoritas, ad praedictarum Praeuentiarum episco-
pos deferatur. Epistola 87. ad episcopos Mauritaniae. Cum
de Ordinationibus Sacerdotum quaedam apud nos illicite usur-
pata, crebrior ad nos communi sermo perferret: Ratio pie-
tatis exegit, ut pro sollicitudine, quam uniuersa Ecclesia ex di-
uina institutione deprehendimus, rerum fidem studeremus ag-
noscere, vicem cura nostra proficiscenti à vobis fratri, & con-
sacerdoti nostro Potentio iniungentes: qui secundum scripta, quae
per ipsum ad vos direximus de episcopis, quorum culpabilis fe-
rebat electio, quid veritas haberet inquireret, nobisque omnia
fideliter indicaret.

In Epistola quarta ad episcopos Siciliae: Diuinae praec-
tis, & Apostolicis incitatur, ut pro omnium Ecclesiarum sta-
tu impio vigilemus affectu; ac si quid usquam reprehensi-
oni inueniatur obnoxium, celeris sollicitudine, aut ab ignoran-
tia imperita, aut praesumptionis usurpatione reuocemus. Mo-
nente enim Dominica vocis Imperio, quo Beatiss. Apostolus Pe-
trus trina repetitione mystica sanctionis imbutus, ut Chri-
stus eius qui Christum diligit, pascat, ipsius sedes, cui per abun-
dantiam diuinae gratiae praesumimus, reuerentia cohorramur, ut
periculum desiderii quantum possumus, declinemus, ne praesessio
summi Apostoli, quae se amatorem Domini esse testatus est, va-
na inueniatur in nobis: quia negligenter pasceas totius commu-
nitarum omnium gregem, conuincitur summum non amare pasto-
rem. In Epist. 32. ad Martianum, & Faustum: In scriptis nos-
tris, quae non solum Apostolicae Sedis auctoritate, sed etiam San-
cta Synodi, quae ad nos frequens conuenit unanimi ac electa
sunt, quantum curam totius Ecclesiae habeamus apparet. In
Epistola 46. ad Anatolium episcopum Constantinopoli-
tanum: Eorum qui in causa (contra Flavianum, scilicet)
grauis peccatoris facta satisfactio talis accedit, quae non restanda
videatur, maturioribus Apostolicae Sedis consilijs referatur, ut
examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum agnitioni-
bus, quid constitui debeat, astatemur. Et subdit: At si de ali-
quibus aliquid fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio di-
rigatur: ut petrae aequalitate causarum, nostra quid obserua-
ri debeat sollicitudo constituat. Et ex Epistola 40. ad eundem
Anatolium: De fratribus nostris, qui metu in damnationem
Flauiani consentire, quos communionis nostra cupidos esse co-
gnouimus, illud quidem, quod praesentibus, & agentibus nostris
constitutum est, approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum
essent communionem contenti.

Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Dardania ait: San-
cta memoria Ioannem Constantinopolitanum, Synodus es-
tam Catholicorum Praesulum certe damnauerat: quem Sedes
Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Hoc idem
scripsit Pontifex, quia ut constat ex Historijs Ioannes
Chrysostrum ab episcopis damnatus. Innoentij Romanij

Pontificem adijt, & ab eo absolutus est. Sic dicit Gelafius in *epist. ad Episcopos Dardanie*, Palladius Episcopus, Chrysofomi discipulus in *visa ipsius Chrysofomi*, Sozom. lib. 8. cap. 26. Niceph. lib. 13. cap. 34.

Liberatus in *Breniario* scribit: B. Athanasius Romanum Pontificem appellavit: & Hieronymus in *epist. 16.* dicit Athanasium Romam confugisse, quasi ad tutissimum communionis suae portum. Socrates item libro 2. cap. 11. & 13. Quoniam Ecclesia, inquit, Romana priuilegium præter ceteras obtinebat, cum Iulius intellexisset contra Athanasium Antiochia Pseudosynodum fuisse celebratam, scripsit eos contra Ecclesia Canones egisse, quod illum ad Concilium vocassent, quippe cum Canon Ecclesiasticus veter præter sententiam Episcopi Romani Concilia celebrari. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Iulius certior factus (videlicet ab Episcopis Aegypti) rursus non esse Athanasio in Aegypto vitam agere, eum ad se accessit. Ad illos autem qui Antiochia in unum conuenerant; nam forte fortuna id temporis eorum Epistolam acceperat, scripsit atque adeo incusauit, quod clam contra Fidem Concilij Niceni nouas res moliti fuerant, quodque contra Leges Ecclesia ipsam ad Concilium vocarent. nam legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, qua pronuntiat acta illa irrita esse, qua præter sententiam Episcopi Romani constituntur. Reuertit Eusebius libro 5. *Historia Ecclesiastica*, cap. 24. Victorem episcopum Romanum excommunicationi subiecisse Asiæ Præsules, qui cum cæteris ecclesiarum episcopis Pascha in die Dominico non colebant. Et quamuis scribat, cæteris omnibus eam excommunicationem parum placuisse episcopis: Asianos tamen dicit à Victore acris, & acerbis obiurgatos. Quare licet factum cæteri episcopi non probauerint; ius tamen penes Romanum Pontificem fuisse agnouerunt, quo posset episcopos Asiæ à sacris, & societate piorum submouere.

Antherus episcopus Romanus, in *Epistola ad Episcopos Baticos*, & *Toletanos*, sic ait de mutatione episcoporum: Cum hanc Sanctam Sedem consulere voluisset, scitote eam communis utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libito cuiusquam aut dominatione. Eusebius de quadam parua ciuitate, auctoritate Apostolica vocatus est Alexandriam. Idem refert de Anthero Nicephorus lib. Gennadius in *Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum*: Sixtus 111. Roma Episcopus, ad Orientis Episcopos aduersus errorem Nestarii succidentium sententias direxit: Et in 1. Tomo Conciliorum refertur: cum Polychronius Hierosolymitanus episcopus Simoniacæ prauitatis accusaretur, Sixtus Pontifex Romanus in Concilio episcoporum 48. misit Legatos suos Hierosolymam, qui Synodo episcoporum 76. conuocata, damnauerunt Polychronium Patriarcham: quem Sixtus postea suæ sedis restituit.

CAP. XV.

Quo tempore, & qua ratione Græcorum Ecclesia à Romani Pontificis potestate & iurisdictione se subtraxerit.

Hic dicenda sunt duo: Vnum quando primum Græci præsertim vero Constantinopolitani Primatum, & summam in omnes potestatem Romani Pontificis negare & recusare cœperint: Alterum quibus ex causis, sese ab ecclesia Romana segregauerint atque se iunxerint.

Quod ad primum attinet; Sciendum est, anno salutis 838. ad summum Pontificatum Nicolaum I. esse prouectum: de quo Rhegino anno Domin. 868. ita scribit: Post B. Gregorium usque ad præsens, nullus Præsul in Vrbe Nicolao videtur equiparandus. Et Otho Frisingensis lib. 6. cap. 3. appellat eum Religiosum, ac Dei zelo plenum Sacerdotem: & Ado in Chronico, virum Religione præcipuum. Hic Nicolaus, postquam Ignatius ab ecclesia Constantinopolitana, cui iure præsidebat, per tyrannidem deiectus fuerat, & Photius laicus ex militia eidem ecclesie Præfe-

ctus, ex ea quæ offensio, & Schisma Constantinopolitortum fuerat, epistolam ad omnes viciæ Religionis ministris scripsit. Vbi inter alia sic ait: Imperator Michael, qui & ipse Barda Patrij versutus fuisset. Photij parti fuerat, ad Apostolatam nostrum Legatus, cum Episcopis designatis, accusationes quasdam aduersum Ignatium deferentibus petijt, ut à Sede Apostolica missos daremus, qui scandala illa sceleret. Et post: Legatus Imperialis, nomine Leo à secretis, duo volumina obtulit: quorum vnus depositionis Ignatii gesta continebat alterum, de sancti imaginib. habebat acta. Desulit præterea idem Leo Imperiales litteras, ut in depositionem Photij subscriberemus: quod coram tota Ecclesia nos facturos non esse professi sumus. Hac ille.

Ex quibus planum est, Græcos vsque in illud tempus Romani Pontificis auctoritatem, & Primatum agnouisse, vtpote, sine cuius approbatione, & consensu id quod fecissent ipsi, consistere non posset. Idem Nicolaus in Epist. ad Michaelem Imperatorem: *Prælegit*, inquit, Ecclesia Romana Christi ore in B. Petro firmata, perpetua sit, & diuinitus radicata atque plantata, impingi possunt, euelli non possunt, quæ ante Imperium vestrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hæc vnus illibata, manebunt quæ post vos, & quousque Christianorum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutata. Ista igitur præuilegia huius Sanctæ Ecclesie à Christo donata, à Synodo non data, sed solacimodo celebrata, & venerata: per qua non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non merito nostris, sed ordinatone gratie Dei per B. Petrum, & in B. Petro simul adepti, nos cogunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum. Hæc Pontifex. Ex quibus liquet, ad illud vsque tempus Romani Pontificis mira Fidei, & Religionis constantia in litteris ad Constantinopolitanos Imperatores & Patriarchas, Romanæ ecclesie Primatum, & supremam in omnes Ecclesias potestatem professos fuisse. Ex eo tempore Græci à Romana ecclesia, & Romani Pontificis fide, & potestate primum delinuerunt. Vnde idem Nicolaus in eadem Epistola, ad Michaelem Imperatorem ait: A sexta Synodo Imperatores, aut heretici, aut sancti per pauci Catholici fuerunt. Et heretici quidem, si mutare ad nos designati sunt, non est mirum, nouerunt enim per gratiam Dei, nos nunquam penitus subiciaturos: Catholici vero nostrum præsidium quaesierunt, sicut Synodus sub Constantino, & Irene facta indicat. Hoc idem dicit Pontifex, quia à prima Synodo Nicæna vsque ad illud tempus Constantinopolitani Patriarchæ, statim, ut ad dignitatem euecti erant, suas Fidei, Religionis, & obediencie litteras ad Romanos Pontifices mittebant, & Constantinopolitani Imperatores, de Fide, & Religione eisdem Romanos Pontifices de more consulebant. Et Synodi in Græcia, & Oriente celebratæ confirmationem à Romano Pontifice petebant. Ex quo factum est, ut cum Græci octo Synodos Oecumenicas, intra octingentos annos initio à Nicæna facta, in Oriente habitas viderint: quamdiu videlicet, eum ecclesia Romana consenserunt, nullam quæ vel nomen Synodi falso haberet, post tempora Nicolai Primi, per hosce septingentos annos, & eo amplius celebrare potuerint: nimirum, quia se à Romani Pontificis fide, & iurisdictione subduerunt.

Anno salutis millesimo quadagesimo nono, creatus est Pontifex Romanus Leo IX. qui, ut scribit Sigonius lib. 8. de Regno Italia, Quoniam Constantinopolitana ecclesia à Romana multis iam annis defecerat, & Primatum sibi tunc Constantino Imperante, & Michaele Patriarcha, temere, & superbe arrogabat, tres Legatos ad eam superbiam recundendam destinauit, Federicum Archidiaconum Cancellarium suum, Vbertum episcopum Silue Candidæ, & Petrum Archiepiscopum Amaliphitanum. Interea Leo in morbum incidit, & eius Legati Constantinopolim peruenierunt: qui quidem honorifice sunt ab Imperatore suscepti, & mox concilium induxerunt ad Græcorum hæreticos cognoscendas: & eo Imperator, & Patriarcha vocati venire recusarunt: nam Patriarcha sibi Principatum ecclesie vendicabat. Federicus vero, Ponti-

ficis, à quo fuerat missus, Legatus, animi magnitudinem imitatus, rem dignitati Romanæ ecclesiæ congruentem effecit: quippe qui Vrbe egressus, Sandalia more Apostolorum, à pedibus detraxit, & super ipsos Græcos pulcrem exussit. Quo factò tantum errorem omnibus Constantinopolitanis inculsit, vt Imperator, & Patriarcha, cum Clero, & Populo postridie facer, & cinere obuolui, ad eum perrexerint, & Apostolicam auctoritatem ad terram vsque prolapsi venerati sint. Inde cum nuncium de morte Pontificis accepissent, hæresib. eorum, & Michael Patriarcha, & Leone EPISCOPO Acridano damnatis, in Italiam redierunt muneribus extimjs, quæ Sancto Petro offerrent, ab Imperatore donati.

Leo igitur Pontifex in *Epistola aduersus presumptiones Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Acridani episcoporum*, postquam ex Sacris Literis Petri Primateum demonstrauit tandem subiungit, Romanam ecclesiam, tum per Beat. Petrum, tum per successores suos, omnes hæreses profigillat; & ipsam Romanam ecclesiam, in fide Christi Petri confessione fundatam, nec vquam defecisse, nec in fine defecuram. Et postea enumerat quindecim, aut eo amplius Constantinopolitanos episcopos, quorum aliqui fuerunt Atriani, alij Macedoniani, Nestoriani, Eurychiani, Monothelitar: Denique ostendit, omnes, post Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui tempore Pelagij I. & Gregorij I. sedit, quadringentos annos, & plures, nomen Oecumenici, seu vniuersalis EPISCOPI, & Patriarchæ sibi sumpsisse, nec oblatum à quoquam, nec concessum, sed potius denegatum, immo sub Anathematis interpositione ab Apostolica, & prima Sede, & à Sanctis, & Orthodoxis Patribus interdictum. Cum autem à Patribus in Chalcedonenſi Synodo, ob reuerentiam Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, Sanctissimo Leoni I. Pontifici, & præclarissimo Doctori, & eius successoribus oblatum fuerit, nec tamen ab illo aut ab illo successorum eius hæctenus receptum, Hæc ille. Ex quare parte liquet, Constantinopolitanos Patriarchas à tempore Photij Patriarchæ, Romanæ ecclesiæ Primatum denegasse.

Quod ad secundum caput attinet, plures causæ videntur extitisse, ob quas Græci à Romana Ecclesia delinuerunt. Ac prima quidem tanti mali causa fuit, leuitas Græcorum, vel in excogitandis, vel in defendendis hæresibus, aut schismatum occasionibus. Secunda, fuit Constantinopolitani Præfulis inuidia, & ambitio: nam postquam Ioannes, qui primus sibi nomen superbum, & arrogans vniuersalis episcopi vendicauit, tam acriter fuit à Pelagio I. & Gregorio I. reprehensus, vt qui deinde successerunt, nec Romanum Antistitem superiorem libenter, & omni ex parte agnouerint, nec à tam arroganti, & temerario episcopi titulo, adduci potuerint, vt abstinerent. Tertia causa fuit Imperatorum Orientalium hæresibus adhaerentiam tyrannicam, & superbia: quorum aliqui non solum hæresibus fauerunt, sed etiam hæresiarhæ facti sunt, vt Leo Leonomachus, & Constantinus Corpronimus: qui cum viderent eorum hæreses Romano Pontifici non probati, ei parere recularunt. Quarta demum accessit eius tanti schismatis causa, quod Pontifex Romanus Græcorum Imperatores ob hæresim, Urbis Romæ Impetio, & magna ex parte Italia priuasset. Et Beda in *Historia Ecclesiastica Anglorum lib. 4. c. 1.* insinuat Græcos ab ecclesia Latina deficientes, velut non recte ad Euangelij veritatem ambulantes. Sic enim ait: *Cum Vitalianus Papa Theodorum in Tarſo Cilicia natum, in Angliam misisset, Adrianum aduocasset, qui attenderet ne quid Theodorus Græcorum more, contra veritatem Fidei, cui præfesset, introduceret.* Sic Beda. Item etiamſi Græci à Romana ecclesia sese diuiserunt: non tamen omnes Orientis episcopi Romanæ Primatum contiuo denegarunt: nam eo etiam tempore, quo Præfules Constantinopolitani à Latina ecclesia defecerunt, Patriarcha Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus cum Romana ecclesia consenserunt. Vt

eum constat ex *Epist. Leonis IX.* Antiochenus episcopus Fidei suæ confessionem, vna cum literis Synodalibus ad ipsum Leonem IX. misit eo tempore, quo Michael Constantinopolitanus Imperator, & Acridanus Bulgarorum episcopus, vel maximis contumelijs ecclesiam Romanam affecerunt. Eo vsque Græcorum odium, & inuidia processit aduersus Romanum Pontificem, & Ecclesiam Latinam, vt Michael Theophili, & Theodoti filius, Constantinopolitanus Imperator, cum Ignatium Patriarcham inique à Pontificia dignitate deiciendum curaret, & ob eam rem à Pontifice Romano iure reprehenderetur, eo insanie proruperit, vt linguæ Latinæ iniuriam irrogans, in Epistola sua eam appellauerit Barbaram, & Scythicam. Vnde Nicolaus I. in *epistola ad ipsum Michaelem*: *O furor, inquit, qui nec lingua nouis parcere, quam Deus fecit, & qua inter ceteras in nomine Domini constituitur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. & qua cum Hebraea, atque Græca, in titulo Domini à reliquis discretis, insignem Principatum tenens, omnibus nationibus prædicat Iesum Nazarenum, Regem Iudæorum.* Et post: *In principio Epistola vestra; Imperatorem vos nuncupatis Romanorum, & rament Romanam linguam, Barbaram appellare non videremini eccle quotide, immo vero in præcipuis festiuitatibus inter Græcam linguam voluit quiddam pretiosum, hanc quam Barbaram, & Scythicam linguam appellatis, miscere.* Postea: *Istius enim ditione lingua, Constantinopolitana ecclesia lectionem Apostolicam, & Euangelicam in stationibus ferunt primitus recitare, sicut demum Græco sermone, propter Græcos vtrique ipsas Lectiones pronuntiare.*

Sub Constantino Monomacho Græci Constantinopolitani, omnes Latinorum ecclesias, quæ penes ipsos erant, clauerunt, & Monachis cœnobii abstulerunt, nisi Græcorum viuere moribus, & institutis. Vnde Leo IX. in *Epistola ad Michaelem Constantinopolitanum, & Archidiaconum Bulgarorum Episcopum capit. 29.* ait: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quanto discretior, moderatior, & elementior vobis est: si quidem cum intra, & extra Romanam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, siue Ecclesia, nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, siue sua consuetudine: quia potius suadetur, & admonetur eam obseruare. Sic namque, quia nihil obstat salutis creditum pro loco, & tēpore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans omnia, qua potest, vni Deo cōmendat omnes.*

Item eo vsque furoris, & auertentiæ Græci deuenerunt, vt si quando Sacerdotes Latini super eorum altaria factis operarentur, non prius ipsi sacrificare vellent in illis, quam ea, tanquam per hoc inquinata & polluta, abluerent & expiarent Baptizatos etiam à Latinis rebaptizare temere solebant, vt constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. IIII. vbi dicitur: *Lesse Græcos in diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ reuertentes fouere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendos; in his tamen illis deserre, nec volumus, nec debemus, qua periculum generant animarum, & Apostolica derogant honestati.* Subdit: *Volentes ergo tantum ab ecclesia deſcandulum amouere: sacro sancto Concilio, districte præcipimus, ut altaria, in quibus Latini celebrant, lauare; & baptizatos ab illis rebaptizare de cetero non presumant: conformantes se, tanquam ecclesiæ filij Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri suæ: vt sit vnum Ovis, & vnus Pastor.* Si quis autem quid tale præsumserit, ex communicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur. Item eo tempore Imperator Constantinopolitanus promisit præmia daturum his, qui ad ipsum deferrent aliquid, in quo Ecclesia Latina à Fide & religione, vt ipse dictitabat, aberraret: Et delatæ sunt ad ipsum nonagintanouem sententiæ, aut consuetudines, in quibus Latinos, quia à Græcis desidebant, à Fide & religione errare dicebant: vt quod in azymo pane consecrarent, quod Sabbato icuiam ieruarent, & non tanquam festum eum diem colerent: quod à suffocato & sanguine non abstinerent: quod Spiritum

sanctum ex Patre & Filio procedentem assererent: quod Symbolo Fidei in Concilio primo Constantinopolitano edito addidissent, *Filioque*: cum tamen in eo Concilio, & postea in Chalcedonensi, anathemati fuerint subiecti, qui aliam Fidem composuissent, aut Symbolo prædicto quippiam detraxissent, vel adiecerint: quod pueris Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum non darent, & id genus alia. Vnde Græci, à sancto Bernardo libro tertio de Consideratione ad Eugenium, notati sunt his verbis: *Ego addo & pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt iuncti Fide, pace diuisi: quamquam & in fide ipsa claudicauerint à rectis sententiis.* S. Antonius Archiepiscopus Florentinus, Tertia Parte Historiarum, Titulo 22. cap. 13. §. 1. & 2. scribit, præcipuas Orientis Ecclesias, & maxime Constantinopolitanam, duodecies seipsas ab Ecclesiæ Romanæ Fide & potestate subtraxisse. Et certe ter publice, & aperte Græci ad eiusdem Ecclesiæ Romanæ fidem & religionem redierunt, videlicet, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in Lugdunensi sub Gregorio X. in Florentino sub Eugenio IV. & in hoc vltimo Concilio anno salut. 1438. Ioannes Palæologus Imperator, Constantinopolitanus Patriarcha, & Græci multi alij EPISCOPUS, postquam eum Latinis de Ecclesiæ Romanæ Primatu disputarunt, in hanc sententiam conuenerunt. *Definitus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in uniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, et inique Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in Beat. Petro piscandis, regendis, & gubernandis uniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo potestatem plenam traditam esse: quemadmodum etiam gestu Occidentiorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Hæc ibi. Et est maxime animaduertendum; Græcos Episcopos & Doctores primatum Romani Pontificis in eo Concilio agnouisse, non vi quapiam coactos, non numero suffragiorum à Latinis victos, sed sua sponte & voluntate ductos, nam cum soli Græci in Imperatoris Constantinopolitani domum. Latinis absentibus, conuenissent, lectis, ut in sessione vltima Concilij Florentini refertur, Græcorum Doctorum de summi Pontificis potestate sententijs, eo modo definiunt quem paulo ante in diebus, a ut libris id confectum extate, referam in præfati aliquot testimonia Græcorum, Gregorius Pachimerius libro quinto Historiarum hæc recenset capita pacis Græcorum cum Latinis: Videlicet, *Principatus sit Romana Sedes: Licet Græci ad eam appellare: & memoria Romani Pontificis una cum Patriarchis celebretur.*

Leonius Chalcondyla: Rerum Turcicarum libro 1. sic ait: *Romani, & ipsorum Pontifex nullam profus omittentis occasionem Legatos miserunt ad Græcos, ut conuenientes in unum, Conciliumque celebrantes, quantum ad religionem Christianam attinet, in se congrediantur. At Græci cum plurimū annis aduersum Romanos contentiones mouissent, noluerunt patrii Religionis suæ cultum perturbari. Tandem Ioannes Palæologus, Græcorum Rex, assumptis Bizantijs Episcopis, & Græcorum doctis, ad colloquium venit cum Pontifice Romano Eugenio IV. Dum Græci pariter, & Romani in Religionis negotio consenserunt. Sed Græci qui domi remanserant, noluerunt stare isti, quæ decreta erant in Italia Synodis. Hinc perpetuo discordes fuisse Græcos aduersum Romanos constat. Hæc ille.*

Insuper ne Græcos ipsos non propria conscientia, sed sociorum cohortatione ad hanc Romanæ Ecclesiæ fidem & religionem tractos putaremas: considerandum est, quod Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus cum domi suæ solus esset, & vltimum vitæ suæ diem instare præsentiret, ita scriptum reliquit, ut haberetur in sessione vltima Concilij Florentini: *Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni: idcirco pro meo munere, dilectis filijs benignitate Dei, meam sententiam his litteris paleam facio. Nam quæ Domini Iesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesiæ Ro-*

1478

me veteris sentiat ac celebrat, omnia me quoque sentire, & credere profiteor, ac ipsi plurimum acquiesco: Beatissimum autem Patrii Patrem ac Summum Pontificem, Rom. que vltimo Patrem, Domini nostri Iesu Christi Vicarium esse certè: atque animatum Purgatorium esse non inficior. Datum Florentia die octauo mensis Iunii, anno Domini millesimo quad. gesimo trigesimo nono.

Item hæc Græcorum confessio non subito, non verbis tantum facta est, sed post diuturnam deliberationem, & singulorum subscriptionibus, vno excepto Episcopo Marco Ephesino, & sigillo Imperatoris Constantinopolitani confirmata est. Aderant quoque Vicarij trium Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani: qui singuli exemplar litterarum, quæ subscriptæ fuerunt, ad singulas Patriarchales ecclesias detulerunt. Denique Legati Patriarchæ Armeniorum superueniunt, & cum ecclesiæ Catholica sese coniunxerunt: ab Eugenio VI. Pontifice Fidei Regulam accipientes, quæ confessio fuit tenere quicquid tener & doceret Romana Ecclesiæ: & damnare quicquid illa damnat.

Genadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus, qui in Synodo Florentina interfuerat, pro Latinis contra Græcos, de quinque capitibus scripsit: quibus terminum erat de Primatu Summi Pontificis: quem Primatum Græcorum parum testimonij demonstrat.

Matthæus quidam Hieromonachus cum de varijs Canonibus Græcis scriberet, tum Constantini Magni, tum Iustiniani Primi, leges & iura, de Romani Pontificis Primatu protulit. Iacobus Nauarchus Ondischoranus in Epistola Asiatica, sic ait: *Cum Eugenius ad Orientem, & Aethiopicam Patriarchas scripsisset, illi in suis Epistolis de Latina Ecclesiæ, & Pontificis auctoritate honorifice, Catholice ac discretè scripserunt: Iacobus enim Ioannes, qui se B. Martij sekis Alexandrina, & totius Aegypti, Libya, Penapoli, & Occidentalis Aethiopicæ Patriarcham nominat, Pontificem Romanum, Sacerdotij perfructorem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum pastorem vocat, Sacerdotum principem, peregrinantium, quæ ceteris viam salutis ostendat, ducem, & tanquam lanquentium medicum, ipsum vero Vicarium Hierosolymitanum Andreas, Abbas Syrus, caput, & uniuersalis Ecclesiæ doctorem eum appellat: Latinam vero Ecclesiam retinere doctrinam, quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt, quam alia Ecclesiæ deserunt, & se à Romana Ecclesiæ matre, & magistra omnium separant, Gentibus in opprobrium, & ruinam tradita sunt, ut videtur in Armeniis, & Græcijs, & vobis Iacobitis cernitur. Sic ille.*

Nicodemus Abbas Aethiops, & Hierosolymis Vicarius Patriarchæ, apud Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ, anno 1432. Palam est, inquit, eos qui à Romana Ecclesiæ defecere, corruisse: & dum quisque suam fidem vterius predicat, quod à Demone est, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abyssos omittit: Aethiopicam tamen integram & liberam perdidisse, quia nequaquam perfidia & voluntaria defensione, ut alia Ecclesiæ peccasset: ac propterea in seruitutem & exterminium non incidisset: sed locorum distantia & iudicium periculis suam fidem fuisse: nec non Pontificum negligentia accidisse, ut nulla visitationis memoria, aut litterarum ratio apud eos à quin. centis annis extaret: Nihilominus Aethiopes tanta veneratione Sedem Romanam colunt, ut pedes eorum osculentur, qui Romam veniunt in Aethiopicam, vestiumque eorum partes rasent, & reliquiarum loco seruant, Nec mirum: Si enim Regina Saba obiit Hierusalem, ut audiret sapientiam Salomonis: plus quam Salomon Summus Pontifex est: Regem item Aethiopicum tantum facere Romanum Pontificem, & Latinorum Filium, ut nihil aque in votis habeat, atque, ut cum Romanis iungantur Aethiopes, & se Pontificis subdant pedibus, audissimèque amplexurum esse, quæ de concordia inuicem statuentur in Synodo. Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput scietur, suoque splendore orbem illustrare: Cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur: nec se Legatos dispuant gratia mittere, sed ut Summi Pontificis sententiam de Fidei rebus sequantur. Quis enim, nisi soli lumen auferat? Ingens est, inquit, & vetusta Latini-



ram scientiam, & ubi nota, nec oportet discipulum esse supra Magistrum. Hæc ille in suis literis anno 1441. die 18. Octobris ad Eugenium IV. misit. Addit his omnibus, se affuturum Pontifici in sacris Iacobitarum Patriarcha, & Sarracenis, ne vi, vel ambitione aliqua impediatur. Philetus vero Alexandria, & Ægypti Patriarcha, Petram Fidei Romanum Pontificem vocat, & Luporum repulsores omnium Ecclesiarum caput, cæterorum Patriarcharum protectorem. Addit se exequiturum Pontificis sanctiones, scripsit sequi Ioanni Palæologo Imperatori, tanquam tyrannos excommunicandos, qui ea, quæ in sancta Synodo statuta essent, non reciperent. I. die Septembri. anno Domini 1440. Hæc omnia apud Iacobum Nauarchum.

CAP. XVI.

Quo tempore, & quæ de causa Archiepiscopus Rauennas olim se, & suam Ecclesiam à Romano Pontificis potestate & iurisdictione subtrahere conatus sit.

Sciendum est Rauennam à Valentiniano III. Imperatore multis muneribus, & prærogatiuis exornatam fuisse, ita ut ipse Imperator Episcopo Rauennati pallium ex lana donauerit, quo tunc soli Cæsares uti solebant. Et teste Blondo ex Agnello, duodecim ciuitatum Flaminia & Emilia Episcopos, vel Romani Pontificis, qui tunc præerat, assensu & mandato, vel auctoritate sua, quam sibi in hæc re contra ius diuinum usurpauit, subiciendos curauit, Arimini, inquam, Cefennæ, Fori Liuij, Fori Pompilij, Fori Cornelij, Fauentia, Britonori, Bononia, Mutina, Rhegij Lepidi, Palmæ, Placentia, & ex eo tempore Rauennas Ecclesia Archiepiscopi dignitate exornata est: quos deinde Episcopos Honorius III. Simoni Episcopo Rauennati subiectos pariter esse voluit.

Refert item Agnellus constituisse Valentinianum, ut Rauenna post urbem Romam, Italia caput esset. Deinde eam vrbem Theodoricus Ostrogothorum rex sua præsentia maxime illustrauit, in ea enim Regiam sedem locauit: tandem Exarchorum potentia amplificata est, qui in ea vrbe à Constantinopolitanis Imperatoribus missi ad Italiam gubernandam, sedem quoque suam more, & imitatione Ostrogothorum Principum posuerunt.

Ex his factum est, ut quidam Archiepiscopi Rauennates ambitione & inuidia in superbiam elati, se, & suam Ecclesiam à Rom. Pontif. potestate, fide & iurisdictione sæpe subtrahere tentauerint.

Primus fuit Ioannes Rauennas Archiepiscopus, vir audax & superbus, qui à Pelagij I. Pontificatu, per aliquot annos Romanæ Ecclesiæ iussa neglexit, & obedientiam debitam abiecit: hic prauum exemplum cæteris Archiepiscopis reliquit, qui cum Romanis Pontificibus de Primatu & auctoritate non semel & iterum, sed sæpius decertarunt, contendentes se, & Ecclesiam Rauennatem extra iurisdictionem & potestatem Romani Pontificis esse. Gregorius Pontifex anno Domini 594. Ioannem Archiepiscopum Rauennatem non solum in sacris, sed etiam in Publicis supplicationibus pallio contra Apostolicam auctoritatem videntem, seuerè, sicuti debuit, increpauit, ut qui pius sibi quam fas esset, assumeret. Sed demum ad monitus Gregorius, alios etiam ante illum Antifites eum ritum seruasse, ab eo reprehendendo destitit.

Anno sal. 648. teste Sigonio lib. 2. de Regno Italia, Ecclesia Rauennas iterum à Romana descitit, auctore Mauro Episcopo qui Bono successerat. hic in ista ingenio superbia inflatus, & opportuno Constantis Imperatoris fauore fulsus, neque consecrationem, neque pallium à Pontifice Romano sumere voluit, sed illam à tribus suæ ditionis Episcopis, hoc ab Imperatore accepit: & Episcopos sibi subiectos, iniussu summi Pontificis consecrauit. Ex quo Ecclesia Rauennas hæresi, quam vocabant Autoceph-

liam, laborauit. Maurum Pontificiam auctoritatem recusantem ad se vocauit Vitalianus: & venire renuentem, à sacris amouit. At ille eo usque temeritatis & infamiam proceffit, ut eadem in Vitalianum tela retorserit. Anno 672. ut scribit idem Sigonius, diem suum obiit, præcepto Cleris suis dato, ne aliquando Romano Pontifici parent. Quod statim ut Adeodatus cognouit, ne Mauro iusta è ritu Ecclesiæ solueretur, edixit. In locum Mauri susceptus Reparatus, eandem contumaciam tenuit: & ad Imperatorem profectus, eadem iura quæ Maurus obtinuerat, ab eo impetrauit. Huic successit Theodorus, qui cum veterem Cleri disciplinam nimia superiorum Auitum indulgentia lapsam reuocare vellet, Clericos plerisque nouorum institutorum seueritate offendit. Itaque die Natali Domini ad eadem S. Apollinaris Classensem, ad rem diuinam de more faciendam, ipsum contra instituta deducere noluerunt. Quam iniuriam ut vlcisceretur, Ecclesiam Rauennatem, quod ipsos agere, & magno animi dolore laturos seiebat, Ecclesiæ Romanæ, literis ad Pontificem scriptis, restituit, & ipse Romam Concilij causa profectus, ad Agathonis pedes sese supplex abiecit, ac præfens obedientiam, ac fidem, quam Maurus & Reparatus sui præcessores abnuerant, Romanæ Ecclesiæ reddidit.

Anno salutis humanæ septingentesimo octauo, quo ad Petri sedem euectus Constantinus fuerat, mortuo Damiano Rauennati Archiepiscopo, Felix successit. Et ut tradit Sigonius libro citato, cum moris iam tunc esset, ut Episcopi antequam consecrarentur, rationem suæ fidei & obsequij redderent, & eam in Pontificum tabularium referrent, Felix Romam ad consecrationem obtinendam profectus, causam defectionis & tumultus querens, rationem more & instituto veteri non reddidit, sed fauore & potentia Romanorum Iudicum nixus, eam arbitratu suo exposuit: ac domum reuersus, Rauennates ab obedientia quam Romano Pontifici debeant, proposita antiqua sedis & Ecclesiæ suæ libertate ac dignitate auocauit. Ratio eius à Pontifice in Confessione B. Petri posita, post aliquot dies, altero quasi incendio afflata, reperta est: manente inde in contumacia sua Felice, neque Pontificis monitis, aut Imperatoris edictis obtemperante, annus effluxit. Ea res ad Iustinianum Imperatorem delata, animus eius offendit, & iram magno opere concitauit. Vnde sequenti anno cum Imperator audiret Felicem furere, neque vllis præceptis aures præstare, imo Pontificem Romanum velle in ordinem cogere, iusta indignatione commotus, armis sibi subiciendum, qui Pontificis impertum detractaret, existimauit: quidquid ille in hæc refecit, vel tacito Romani Pontificis consensu, vel suo iure, & auctoritate id se posse facere credidit. Ac propterea Theodorum Patritium, & Primitium exercitus, è Sicilia cum classe Rauennas mire, & Archiepiscopi, & Rauennatum insolentiam, & superbiam vindicare iussit. Quod vbi rescituit Felix, confestim & ipse auxilia & subsidia ex vicinis, ac subiectis Ecclesiis aduocauit, Ceruensis, Comacensis, Pompiliensis, Cefennati, Imolensis & Faentina, & cum his ad litus occurrit, ut impediret quo minus hostes è nauibus descenderent. Theodorus autem Classe ad oram Rauennatem appulsa, ut copias in terram exponeret, variis in locis eum occurrentibus sibi Rauennatibus depugnauit: atque his demum in fugam compulsis, bellicum ipsi vrbi Rauennæ terrore inculsit, eamque breui vna eum ciuibus, & Archiepiscopo deditam capit. Quæstione deinde de seditionis locis habita, plerisque manifeste sceleris reos partim vita, partim ciuitate, partim fortunis omnibus spoliari, Archiepiscopum autem catenis vincitum Constantinopolim deportari iussit. Et constitutis Rauennatum rebus, se in Siciliam retulit. Archiepiscopus à Iustiniano, candenti lamina obiecta, luminibus excæcatus, & in Pontum vna cum quibusdam aliis est relegatus. Ita insignis Rauennatis Ecclesiæ contumacia, exemplo apud posteros memorabili castigata est. Ferrur

tamen Felix in gratiam Imperatoris reuersus, & suæ sedi & Ecclesiæ restitutus, diem suum pie & religiose obiisse.

Nicolaus I. anno 862. Ioannem archiepiscopum Ra-uennatem ad sedem Apostolicam propter obiecta crimina vocatum, venire recusantem archiepiscopali dignitate priuauit. Is autem Papiam ad Ludouicum Imperatorem confugiens, ab eo liceras commendatitias ad Pontificem impetrauit, & Legatos, qui Pontificem rogarent, vt Ioanni Romam ad causam dicendam tuto proficisci liceret: quod non grauate Pontifex concessit. Nicolaus Conuentum episcoporum ad eam rem cognoscendam indixit. Ioannes autem accepta facultate dicendi in magno Præfulum Conuentu, in domo Leonina cum se purgare nequiret, culpam suam ingenue confessus est. Pontifex præfente consilio sic sententiam tulit, vt secundo quoque anno sedem Apostolicam uisitaret, nisi aduersa ualitudine præpeditus, aut beneficio Pontificio absolutus esset. Deinde ne episcopos per Æmiliam consecraret, nisi à Clero populoque electos, & literis super ea re à Pontifice missis. Tertio ne prohiberet eosdem episcopos quotiescumque ad sedem Apostolicam venire uellent, Romam accedere. Quarto, ne ullam ab eis pecuniam, nisi quæ legibus continetur, exigeret. Quinto, vt nullius hominis res quocumque modo & iure partas, & possessas aliqua ratione occuparet. Sexto, prædia quæ à iure S. Petri ad ius S. Appollinaris transfuisset, & in Emphyteusim singulis hominibus tribuisset, diligenter exquirere, & ipsas emphyteuses rescindere, & S. Petro cuius fuerat, restitueret. Has autem sanctissimas iussiones, tota Synodus ita approbavit, vt ab omnibus ter acclamatum sit: *Rectum iudicium summi Præsulis, iusta definitio pastoris vniuersalis Ecclesiæ, salubris institutio Christi discipuli, omnibus placet, omnes eadem dicimus, eadem sapimus, eadem iudicamus.* Tunc Ioannes uidentibus omnibus eadem se obseruaturum iureiurando, & scripto confirmauit: & soluta Synodo, Ra-uennam ad suos rediit.

Quo tempore Paschalis II. & Gelasius II. Ecclesiæ Romanæ præsidebant. Ra-uennates, cum multis ante annis archiepiscopos ad Regium nutum, qui Romano Pontifici aduersarentur, delegissent, Walterum Canonicum Regularem in primis Sedis Apostolicæ deditum designarunt, & vt in gratiam Ecclesiæ reciperentur, anxie, & sollicitè precabantur. Ea re gauisus Gelasius, Calendis Septembris anno salut. millesimo centesimo decimo octauo, ad Walterum ita scripsit, vt refert Sigonius, lib. 10. anno 1118. *Ra-uennas Ecclesia per multos iam antea annos à Romana corpore Ecclesiæ auulsa, multa eidem incommoda calamitate, & artulit, & multis Ecclesiis dissidiu materiam præbuit. Itaque ob eius nequitiam nonnullas subiectarum Ecclesiarum sibi Apostolica Sedes assumpsit, vt hac ratione ad humilitatis atque unitatis rationem adduceretur. Nunc uero cum eadem ad auctoritatem matris suæ Romanæ Ecclesiæ redierit, ac filius eius, cum antea per tyrannidem regiam Præsules regibus probatos acciperent, nunc Patrium suorum errore aguito, ex Canonicis institutis Episcopum Deo probatum elegerint: & dissidiu improbatu, in Catholica congregationis sinum reuerterint, ac reuerendissimum te frater Valere, à disciplina Fratrum Regularium assumptum, religionis & sapientia opinione in B. Apollinaris Cathedra collocarint: ob eam rem nos, pro iure nostro, personam tuam ad Episcopale officium consecrantes tibi, & per te Ra-uennati Ecclesiæ dignitatem, quam ante huius dissidiu tempora per Romanam Ecclesiam possiderat, restitimus; saluo in omnibus iure atque auctoritate Sedis Apostolicæ. Concedimus tibi, tuisque successoribus in eisdem Sedis Apostolicæ obedientia permanentibus, Episcopatus Æmilia prouincia, id est, Placentia, Parma, Rhegi, Mutina, Bononia, Ferraria, Adria, Chomacchi, Fauentia. Fovi Lori Luuti, Fovi Pompili, Bobii, Cesenna, Ficcola: confirmamus uobis Ducatum Ra-uenna, Monasteria S. Adalberti, & S. Hilarii, & ceteras possessiones ab antecessoribus nostris, & Catholicis regibus traditas, Pomposiani quoque Monasterii curam, atque usum Pallii damus: cuius indumenti honore, humilitas atque iustitia declaratur. Hæc tibi apud Sigonium, lib. 10.*

C A P. XVII.

Cur Mediolanensis Ecclesia à Romana Ecclesia iure, & potestate aliquando desinerit.

Sciendum est, tempore Nicolai II. anno 1059. ut scribit Sigonius, lib. 9. de Regno Italia, Petrum Damiani Anselmo Episcop. assumpto a Pont. Rom. Legatum missum fuisse, vt insanam Ecclesiæ Mediolanensis contumaciam cognosceret, & ad Pontificem referret. Ille igitur pro dignitate receptus, causam suæ ad Mediolanenses Legationis in concione exposuit. Et cognita, postmodum rumor in ciuitate à factione Clericorum excitatus insonuit, Ambrosianam Ecclesiam antiquis Patrum institutis liberam, nec Romanis legibus adstrictam, nec Pontificis Romani ius uilum in ea ordinandam & constituendam agnoscere. Itaque sublato clamore raptim uodique à tumultuantibus ad Episcopum concurrunt, campanarum strepitu, ac prægrandis tubæ clangore urbs tota completur, & mors Legato Pontificio ab omnibus intentatur. Accenderat autem inuidia flammam, quod Petrus legatus pridie in Conuentu præfens, ad dexteram sibi Anselmum Episcopum Lucensem constituerat, à sinistra uero Guidonem archiepiscopum Mediolanensem sibi assistere præceperat. Pætpecta uero populi uoluntate, Legatus postmodum conuocato in templum populo in concionem ascendit, & tandem tumultu sedato sic dixit: [Nicolaus Pont. Max. frater charissimè, misit me ad uos, non ut Ecclesiæ Romanæ honori, & amplitudini seruirem, sed ut uestræ gloriæ atque salutis consulere. Quid enim honore tenuissimi hominis Romana eget Ecclesia, quæ laudem præconia ex ipsius ore Saluatoris est adeptæ? Quæ autem prouincia in terris ab eius ditione libera reperitur? Cuius arbitrio ipsum quoque cælum aperitur, & clauditur? Et quidem si rectè attenderitis, reliquas ecclesias ab hominibus institutas esse reperietis ecclesiam uero Romanam à Deo ipso esse fundatam, atque ab eo cum reliquis omnes, tum maxime Mediolanensem ortus sui primordia, & disciplinæ rudimenta sumpsisse. Quid enim Petrus & Paulus, qui Romanam Ecclesiam suo sanguine consecraverunt? Nonne hæc quoque per discipulos suos instituerunt? Nazarius enim à Lino Petri discipulo, sacro fonte ablutus, sacrum in hac urbe martyrium est passus: Geruasius & Protasius, quorum sancta in hac urbe corpora coluntur, nõ alium quam Paulum habere magistrum. Sanctus denique, quo uos tantopere gloriamini Ambrosius, cum Nicolaitarum hæresim per se quondam coercere non posset, à Romana ecclesia præfidium implorauit: atque tres uiri ad huius erroris expiationem à Siricio tum Pontifice missi, præfens ciuitati auxilium attulerunt. Quamobrem cum & primi salutis uestræ auctores, & post labentis disciplinæ emendatores ab Ecclesia Romana prodierint, quid est quod eius decretis obtemperare intemptiua nunc contumacia recusetis?]

Quibus uerbis proteruum populum adeo flexit, ut subito se ad omnia eius mandata paratum esse responderit. Quæstione mox de Clericis instituta, vix vnus repertus est, qui non aut ordines emisset, aut mulieribus consuetudinibus particeps non esset. Tum legatus, omnibus se ueniam daturum ostendit, si iureiurando promitterent se in posterum ab eiusmodi flagitiis temperaturos. Iurandum fuit triplex: primum enim archiepiscopus ita iurauit: *Confiteor morem in Ecclesia inoleuisse, ut quæcumque Clericales ordines acciperet, Subdiaconatus nomine, nuntios duodecim; Diaconatus, octiduum; Presbyteratus, uiginti quatuor penderet. Itaque præfente Domino Petro Hostiensis Episcopo, Legato Nicolai Pontificis, & Demino Anselmo Lucensi Episcopo, & omnibus uobis, damno & detestor omnem Simoniacam hæresim, ac me, & Clericos, & successores meos spondeo nihil in præsterum exacturos. Nicolaitarum quoque hæresim eadem ratione condemno, & Presbyteros, Diaconos ab uxorum & concubina-*

rum congressu, qua ad potero, propulsurum promitto. Pollicor quoque me nunquam aliquos consecraturum prater Monachos, quos supriori sacramento non obligem.

Duo priora Clerici pariter iuraverunt. Et his actis, archiepiscopus se proiecit in terram, & piaculum sibi iniungi postulat, quia licet ea ipse in Ecclesiam probra non inuexisset, tamen cum posset, ex ea ipse non sustulisset. Legatus centum annorum piaculum imposuit; idque redimere posse certa in singulos annos pecunia voluit; Clericos diuersis ad vitam ieiuniis obligauit. Archiepiscopus inde concionem ascendit, ac praesente clero, & populo; cle- rum suum iurare iussit, se has duas haereses pro viribus extirpaturum. Eodemque die se iuraturando populus obstrinxit. Vnde legatus clericis pristina ornamenta, literas etiam, & castis officii restituit. Et archiepiscopus promissit eidem se eos religionis gratia, Romam, aut Turo- num missuros; se vero ad S. Iacobum in Hispaniam itu- rum. Haec cum Legatus Mediolani peregit. Sed eo inde profecto, archiepiscopus aperis clericorum suorum con- uitiis affectus, quod Mediolanensis libertatem Ecclesiae prodidisset; in sententia castitatis non perstitit, sed pro- misueros mulierum concubitus clericis concessit. Itaque sequenti anno, qui fuit millesimus sexagesimus, ad cor- ruptos mores redierunt. Vnde Petrus Damiani ad eos hanc Epistolam misit: *Petrus Damiani fratribus Mediolanensi- bus salutem: Nicolaitarum haeresis quae à uobis nobiscum labo- rantibus videbatur euulsa, repellat. Deus uult probare con- stantiam suorum. Ecce qui prius Nicolaitarum, & Simoniacae haeresis laqueus tenebantur, nunc ad perditionis suae cumulum, sunt etiam violato sacramento peruri: quod tamen, in Medio- lanensi Ecclesia nouum non est, quia initio ab Auxentio atque Ambrosio inuoluta, diuersi digni adis homines habere consuevit.*

C A P. XVIII.

De potestate Romani Pontificis in ea, qua sunt vel ab Apostolis, vel à Domino constituta.

Primo quaeritur, An possit Romanus Pontifex ex toto, vel ex aliqua parte aliquid eorum mutare, abrogare & tollere, quae sancti Apostoli condiderunt? De hac quaestione tractauit. i. par. cap. 15. quae. 4. agunt Abbas & alii in cap. super eo, de Bigamis, Glossa, in cap. Sunt quidam. 25. quae. 1. Augustinus Anconit. de potest. Eccles. q. 60. Quaestio- nem mouet id quod habetur in c. sunt quidam, 25. quae. 1. ubi Urbanus Papa sic ait: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos non solum non negamus, sed etiam ualde affirmamus. Sciendum ve- ro summopere est, quia inde nouas leges condere potest, unde Eu- angelista aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi uero aperte Apostoli Domini, & eos secuti sancti Patres sententiali- ter aliquid definitiuerunt, ibi non nouam legem Romanus Ponti- fex, sed potius quod predicatum est, usque ad animam & san- guinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absque) nitentur, non sententiam da- re, sed magis errare conuinceretur. Et cap. Contra statuta, ead- em causa & quaestione, ex Zozimo Papa dicitur: *Contra sta- tuta Patrum condere aliquid, vel mutare, neque huius quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsi radicibus ui- uat antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reuerentiam. Et in cap. Onus quod, eadem causa, & quae. Marcellus Papa in- quit: *Inuisum iudicium, & definitio iniusta, & regio metu & iussu à iudicibus ordinata non ualeat; nequaquam, quod contra Euangelicam, vel Propheticam, vel Apostolicam doctrinam, constitutionem ue eorum, suo sanctorum Patrum actum fuerit, stabit: & quod ab infidelibus, vel haeticis factum fuerit, om- nino cassabitur. Haec ibi. & cap. Super eo, de Bigamis ait Lú- cius III. cum Bigamis contra Apostolum dispensare non licet. Idem dicit Innocentius III. in cap. Nuper, & c. A nobis. eod. tit. Respondeo, quaedam Apostolorum tradidisse tanquam iussa & praecipia Domini, cuiusmodi sunt quae pertinent ad naturam & substantiam sacramentorum, ad eorum***

materias, formas, & ordinarios ministros: & haec Roma- nus Pontifex mutare nequaquam potest, ut dicam quaes- tione proxime sequenti: Multa item nobis reliquerunt tanquam fide diuina credenda: quales sunt fidei articuli, & ea omnia, quae Euangelistae scripserunt, & ea quae ad fidem pariter spectant: quae quamuis non scripto, uia tamen uoce tanquam à Domino accepta prodiderunt, qualis est sanctorum caelorum inuocatio, sacrarum ima- ginum cultus, pro uiuis & mortuis inueniunt sacrificii ob- latio, & id genus alia. Et in his quoque nihil Romanus Pontifex mutare potest: neque enim ipse est nouam, vel aliam fidem & religionem condere; sed à Christo Do- mino conditam, & Apostolorum ministerio & opera pro- mulgatam, & acceptam, credere, conseruare & tueri. Et hoc est quod in titatis Capitibus dicitur: *Contra Aposto- lorum doctrinam, vel Prophetarum, nihil etiam Roma- num Pontificem posse.*

Aliqua tamen Apostoli constituerunt, tanquam Ec- clesiarum, quibus erat cura commissa, rectores, eo quod ea ad bonam ipsarum Ecclesiarum gubernationem perti- nerent, vel ad tempus, vel in perpetuum. Ad tempus qui- dem edixerunt ut à suffocato & sanguine Gentes abstine- rent. Item ut una cum Euangelio aliqua veteris legis cæ- remonia obseruarentur. Et haec quia ad tempus data praecipia sunt, temporis quoque progressu ipsa Ecclesia mutauit & abrogauit: Ea etiam quae in perpetuum con- diderunt ad bonam Ecclesiarum administrationem, Roma- ni Pontificis auctoritate mutare non omnino, sed ex parte queunt, quoniam sine iusta causa & legitima, Roma- nus Pontifex ea laxare, vel abrogare sine peccato ne- quit: quamuis si id faciat, eiusmodi iuris relaxatio vel ab- rogatio vim & locum habeat: nihil tamen relaxando, ubi causa subest iusta, Romanus Pontifex peccat. exempli causa: Paulus Apostolus praecipit, bigamum non esse ad ordines promotendum, nec homicidam, aliumve crimi- nosum; & tamen aliqui Romani Pontifices, haec iura in- terdum relaxasse perhibentur. Pari ratione Canon quid- dam Apostolorum decernit, ut Presbyter, vel Diaconus cum foemina rem habens, à Clericorum gradu deiciatur, cap. Presbyter. Distinct. 81. & tamen Gangrense Concilium iussit de causis huiusmodi iuris rigorem laxauit. cap. Pres- byter. Distinct. 82.

Secundo quaeritur, An possit Romanus Pontifex abro- gare, vel mutare aliquid eorum quae sunt iuris diuini? Canonici iuris interpretes, ut Abbas, & alii in cap. ult. de consuetudine, ut testatur Couar. de Matrim. p. 2. c. 6. §. 9. num. 2. & 3. communiter docent, posse Romanum Pontificem ius di- uinum declarare, interpretari, restringere, remittere, am- plificare, augere, & mutare: atque id exemplis adhibitis demonstrant. Nami diuini iuris est Sabbatum colere; die- bus festis à uespera in uesperam ferri; decimam partem ex perceptis fructibus soluere Ecclesiae; vota reddere; quod iuramentando promissimus, praestare, & implere; testi- monio duorum aut trium testium stare: & tamen Eccle- sia sabbati cultum in diem Dominicam mutauit, nec ubi- que in diebus festis à uespera in uesperam à laborando cel- samus: nec ubique personalis, aut praedialis decima sol- uitur; & votum ac iuramentum saepe Romani Pontificis auctoritate relaxatur: & in multis controuersis & causis, plurimum testium, quam duorum, vel trium sententia re- quiritur. Item an matrimonia inter certa personarum ge- nera, Leuitici 18. diuina lege prohibita, possit Pontifex, ut licita approbare, suo loco dicemus.

Communis tamen Theologorum in 3. distinct. 37. & in i. cap. 8. opinio est, ut testatur Couar. de Matrim. par. 2. c. 6. §. 9. num. 4. quam habet etiam S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. nihil eorum quae sunt iuris diuini, posse Romanum Pontifi- cem, vel ex toto, vel ex parte abrogare mutare, quamuis iusta ex causa possit, hunc, vel illum à iuris diuini rigore eximere: nec enim idem est, ius diuinum ex toto, vel ex parte tollere, quod iuris diuini rigorem ex iusta causa re- laxare, hoc est, aliquem à iuris diuini rigore soluere. Sed

i. Ti. 3.
Tit. 1.

iuris Canonici Doctores facile hac in parte cum Theologis conciliantur.

Animaduertendum est, tunc declarari, vel interpretari ius, cum, quod in eo obscurum, vel ambiguum continetur, explicatur, & Romanus Pontifex auctoritatem habet declarandi quæ sunt obscura, vel ambigua in ipso iure diuino: & hoc Theologi minime dissentunt. Est enim penes Ecclesiam potestas declarandi etiam quæ sunt obscura, vel dubia in ipsis sacris literis, vel regulis fidei.

Deinde est animaduertendum, ius diuinum latius ac fufius interdum accipere iuris Canonici Consaltes, quam Theologos. Apud illos namque ius diuinum appellatur, quicquid in vetere Testamento imperatur, aut vetatur: imo quicquid in eo scripto continetur: quicquid similiter in nouo Testamento decernitur, ac traditur: ac propterea iuris Canonici Doctores prodiderunt multa quæ sunt iuris diuini, Ecclesiam posse mutare, imo etiam ipsam mutasse: & hoc probant argumenta initio proposita. Theologi vero pressius, & strictius ius diuinum accipiunt, videlicet id quod Deus, siue Christus Dominus fieri iussit aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice, abrogari vel mutari non posse: nec enim inferior auctoritas, & potestas quicquam contra superiorem potestatem potest. An vero possit Papa Matrimonium ratum, non consummatum inter Christianos contractum dissolueri: item an coniugium consummatum, & inter Paganos initum dirimere queat: An item possit simplici presbytero committere, & demandare vel Confirmationis sacramentum conferat, & Chrisma conficiat, & infirmo oleum conferat, & sacros Ordines det: Inferius docebo libro statim sequenti.

Tercio quaeritur, An Romanus Pontifex, quicquam possit abrogare, vel mutare eorum quæ iuri naturali præcipiuntur, vel prohibentur? Vna sententia est omnium, quam habet S. Thomas 1.2. quæst. 94. art. 5. Minime eum posse: quoniam ea, quæ sunt vel per se bona, vel mala, abrogare, vel mutare aequit. Namque eiusmodi sunt, ut quæ iure naturali imperantur, aut vetantur, mutari, nisi natura eorum variata & mutata, non possunt.

Solum obliici potest, quod passim Romani Pontificis auctoritate fieri videmus. votum enim, & iurandum multis ex causis relaxat, tum tamen quod voto, & iureiurando promissum, iure naturali exoluere debeamus: & multitudinem beneficiorum vni, & eidem Clerico confert, etiam cum vnum eorum ad vitam sustentandam commode sufficit. Sed hoc argumentum dissoluimus ex parte superius Par. 1. lib. 1. g. 3. Ep. 4.

Ad id vero, quod dicebatur de Beneficiorum multitudine, in præsentia breuiter respondemus, aliud esse hunc vel illum iustus de causis à iuris naturalis rigore soluere, ut soluit Pontifex sæpe à voti vel à iurifurandi vinculo; aliud vero, quæ sunt iuris naturalis abrogare, vel mutare: primum enim potest Pontifex ex iustis causis, secundum non potest.

Quarto quaeritur, An quicquam Romanus Pontifex possit contra leges, & iura ciuilia? Respondeo, ita distinguendo: Aut ea sunt per se bona vel mala, & in his nihil potest abrogare, vel mutare: non quia ius ciuile ea prohibeat, imperetve: sed quia ius ipsum naturæ ea præcipit, vel vetat. Aut sunt bona vel mala, ea tantum ratione, qua iure ciuili imperantur, vel prohibentur: & hæc vel omnino, vel ex parte à iure Canonico dissentiant; vel aliqua ratione iuri naturali, ac diuino aduersantur, ut si lex ciuilis statuat vsuram esse licitam, vel ut possessor malæ fidei præscribat, vel ut licet alicui duas vxores simul habere. Vel nihil iuri diuino, naturali, vel Canonico repugnant: Si nihil repugnant, non solet, nec potest absque iusta causa Romanus Pontifex tollere, abrogare, mutare, aut contra quicquam statuere erga Laicos. Ioannes Andreas, *Resol. Supplement. quos citat Syluester in verbo Papa, quæst. 14. In principio.* Si vero pugnant, ea iura relaxare, mutare, & absoluere Romanus Pontifex potest. Neque enim laici

possunt statuta, vel leges condere, vel ferre contra ius diuinum, vel naturale, vel Canonicum: ut docet Prima pars. lib. 5. cap. 13. Ep. 14.

Quinto quaeritur, An Romanus Pontifex aliquid potestatis, & iuris habeat in mortuos? Respondeo ex communi omnium Catholicorum sensu, quem explicat Syluester in verbo Papa, quæst. 6. secus B. Antonium par. 3. in 2. c. 5. §. sexto. Poisse eas peccatorum condonationes, quæ indulgentiæ vocantur, mortuis concedere, quibus à poenis purgatorii soluantur, ut inferius ostendam, lib. 5.

Verum dubiæ quæstionis est, Vtrum huiuscemodi subsidium profuit mortuis eo modo quo viuus? Et probabilior est eorum sententia, qui docent viuus proficere, quia Pontifex tanquàm iudex eos absoluit à poenis culpæ debitæ; at vero profuit mortuis, non quia directo Pontifex, ut iudex, eos soluat ab ignis purgatorii poenis, sed quia eis extra Pontificis ditionem ad forum Dei deductis, ex bonis ipsius Ecclesiæ aliquid impertit, tanquam elemosinæ subsidium, quod pro poenis debitæ soluant, ac proinde eos redimunt. Quæmadmodum si Princeps aliquid solueret pro reo in altius Principis potestate constituto, quo ipse rei debitum redimeret. Atque hoc est, quod passim ab omnibus dici solet, indulgentias proficere mortuis, ad modum suffragii, viuus vero ad absolutionem.

An vero Papa possit aliquem post mortem excommunicationis vinculo obstringere? An possit iterum eos, qui è viuis excesserunt excommunicationis sententia illigati, absoluere? inferius quoque disputabo, *nampe lib. 5. c. 4. potestate Papa in mortuos.*

Sexto quaeritur, An Romanus Pontifex aliquid in Paganos extra Ecclesiæ ditionem constitutos ius, & potestatem habeat? Respondeo ex communi etiam Catholicorum sententia, quam habet Syluester in verbo Papa, g. 7. post August. Anconita. de potesta. Eccl. q. 23. art. 7. Ep. Anton. 3. par. 11. c. 5. §. Habere ius, & potestatem in illos, non quidem talem, ut simpliciter eos rerum suarum dominio, aut ditione, & impetio spoliare sine iusta causa queat, nec item ut eos possit poena aliqua spirituali, & Ecclesiastica punire, nec eos cogere ad suos ritus relinquendos, vel suscipiendos nostros, sicut nec ad fidem recipiendam compellere potest, nec ad leges Ecclesiasticas seruandas: Sed quod ius habeat vbique gentium Christi Domini Evangelium annuntiandi, & promulgandi, & baptismo imbuendi quoquoque sponte sua voluerint ad Christi Domini fidem, & religionem conuertri, ac proinde eundem ac defendendi ab iniuriis, violentiis, damnis, & malis omnes qui se Christo adiunxerint: & impediendi, etiam bello indicto contra eos, si necesse fuerit opera tamen Principum Christianorum gerendo, ne Paganis, ut docet *Vitell. Relict. de Indis Insulan. par. 2. n. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Ep. 15. his, & id genus aliis impedimentis Christianæ religioni obstant.*

Sed incertæ est quæstionis, An poenis pecuniariis, & corporalibus coercere ac punire queat eos, si naturæ iura periregerint, si rectæ rationis mores peruerterint, si iuris gentium leges labefactauerint: velut, si homicidia, furta, adulteria, & cætera grauiora huiuscemodi crimina perpetrent, tanquam licita, aut tanquam non mala impune permittant: item si tyrannidem in suos exercent, si falsis suis diis homines sacrificent, si edant cornes humanos, item si Christum, eiusque fidem, & religionem maledicis, & probris insectentur, & contumeliis afficiant? Hanc quæstionem supra suo loco diluimus, *videlicet, primo lib. 8. cap. 24. g. 9. Sylu. loco citato post Augustinum Triumphum Ep. S. Antonium ait, punire posse, si peccant contra legem naturalem manifestam.*

Animaduertendum est, in Paganos Christianorum Principum ditionis & imperio subiectos, Romanum Pontificem aliqua ex parte potestatem habere, tanquam in homines in Christianorum iam potestatem redactos. Idem iuris habet, aut non habet Romanus Pontifex in Iudæos, quod in Paganos diximus eum habere, aut non habere.

Secus tamen est de hæreticis, & schismaticis: nam in hocce omnes, cum Christi fidem, & religionem professi sint, pœnis Ecclesiasticis directo animaduertente potest, anathemati eos subiiciendo, & gradu Clericorum deiciendo, bonorum, & rerum temporalium dominio spoliando, ditione, & imperio quod habent in alios, priuando: hoc enim habet mos, & vsus Ecclesiæ, vt suo loco docuimus, primo. l. lib. 8. cap. 11. versiculo, & vltima pœna hæreticorum.

C A P. XIX.

De potestate Romani Pontificis in rerum temporalium administratione.

Div ac multum agitata est controuersia, An penes Romanum Pontificem sit sola potestas administrandi, & gubernandi spiritualia, an vero etiam temporalia: ita vt penes eum sint duæ potestates, Spirituales, & Temporales, an potius vna tantummodo Spirituales. In qua quæstione definienda, ita est caute, & prudenter agendum, & procedendum, vt nec Principibus Christianis quicquam temere derogeretur, nec Pontifici auctoritati à Christo Domino institutæ aliquid detrahatur.

In primis Lutherani, Caluinistæ, & alii Hæretici omnino negant, vllam esse in Romano Pontifice potestatem in temporalibus. Fuit Marsilius quidam Patavinus, qui docuit, duas esse in mundo potestates supremas à se inuicem distinctas, Imperatoriam, & Pontificiam, quarum neutra pendere ab altera: Imperatoriam quidem esse à Deo per populi electionem constitutam ad temporalia omnia gubernanda: & hanc esse ante Pontificiam diuinitus institutam, quia antequam Romani Pontifices essent, fuerunt Romani Imperatores à populo diuinæ providentiæ beneficio electi, & creati: Pontificiam vero potestatem esse à Christo Domino ipsi Petro, & successori- bus traditam, ad spiritualia tantum per totum terrarum orbem administranda.

Deinde aiebat ille, Clericos omnes, & ipsam etiam Romanum Pontificem in causis ciuilibus, & temporalibus esse Imperatori subiectos, nisi Imperatoris ipsius priuilegio exciperentur. Quare homicidæ Clerici, & adulteri, fures Imperatoris legibus coerceri, & puniri deberent, nisi Imperatores ipsi eos ab his legibus priuilegio eximerent: Item ciuiles omnium Clericorum causæ eisdem Imperatoris legibus componi, & dirimi deberent, nisi Imperatorum beneficio essent immunes, & libera: Addebat postremo, in causis & criminibus Ecclesiasticis Imperatores, & ceteros Christianos Romani Pontificis auctoritati subiecti, Causæ vero Ecclesiasticæ dicuntur, quæ pertinent ad sacramenta, ad sacros Christianæ religionis ritus & cæremônias, ad Ecclesiasticæ beneficia. Crimina vero fori Ecclesiastici sunt hæresis, vsura, concubinatus, impietas, Simonia, voti, dici festi, vel sacramenti Ecclesiastici, vel alicuius ex præceptis Ecclesiæ, vel censuræ Ecclesiasticæ violatio, matrimonium in gradibus iure Canonico prohibitis, vel cum impedimento iuris Canonici, vel contra mandatum Ecclesiæ contractum, & id genus alia. Insuper, si Imperatores aut alii Christiani laici in huiusmodi crimina prolaberentur, posse quidem dicebat ab Ecclesiâ puniri, sed tantum pœnis Ecclesiasticis, videlicet excommunicatione, & interdictione; non tamen pœnis aliis ciuilibus. Quod si quæres ex ipso; Quis igitur in eos animaduertente pœnis ciuilibus poterit? Respondebat, in priuatos quidem laicos, ipsos Principes; in ipsos vero Imperatores & Principes Deum ipsum, à quo sunt iudicandi. Verbi gratia: Si Rex, vel Imperator sit hæreticus, vel impius, potest Ecclesiâ eum à sacris, & à societate pïorum amouere, vt respiscat; nec tamen vltra, aiebat ille potest procedere, nec quid amplius tentare: quod si anathematis vinculo obstrictus parere & respiscere recusauerit, nequibit Ecclesiâ eum, ditione & imperio deiecere, sed penes populum ipsum, cuius fuit Principem

create, erit ius & potestas eidem Principi imperium abrogandi, ne eius hæresi, impietate corrumpatur. Quod si populus facere nolit, sibi impuret, quod cum tanto suo malo velit in talis Principis ditione esse. Non longe ab his fuerunt Gulielmus Ocham, & Ioannes Parisiensis, Theologi; & Dantes poeta Florentinus, & Ochamum, ac Ioan. Parisien. sequuti sunt Almai. *tract. de suprem. potest. laica, quest. 3.* & Maior. *in 4. dist. 24. quest. 3.*

Hanc sententiam Marsilij temerariam, & errorem cõtinentem, ipse Marsilius & alij colligere se arbitrabantur in primis ex Authent. *Quomodo oporteat Episcopos & ceteros Clericos ad ordinationes perducere, Collat. 1.* vbi statim initio dicitur: *Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei, à superna collata clementia, sacerdotium, & Imperium, illud quidem diuinis ministrans; hoc autem humanis præsidens, ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam.* Et Authent. *De instrumentorum cautela & fide, §. Quia igitur,* habetur in hauc modum: *Quia igitur imperium propterea Deus de celo constituit, vt difficultibus imponat quæ apud Deum sunt bona. Et in l. Deprecatio, ff. Ad legem Rhodiam de lactu, Antoninus Imperator scribens, ait: Ego quidem, mundi Dominus. Item Matth. 22. dixit Christus: Reddite ergo quæ sunt Cæsari, Cæsari; & quæ sunt Deo, Deo: & præcepit vt Petrus tributum solueret Cæsari debitum pro se, & pro ipso Petro, & c. Prima Petri 2. iubemur obedire regibus etiam dyleolis: & Paulus ad Rom. 13. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Item cap. *Quoniam, dist. 10.* dicitur: *Quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis & dignitatibus officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate hominum corda sensum esseri, non humana superbia versus in inferiora demergi, vt etiam Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus teneretur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurribus, & Deo militans minima secularibus negotiis sese implicaret; ac vicissim ne ille rebus diuinis præsidere dignaretur, qui esset secularibus negotiis implicatus.* Quod caput licet Gratianus citet tanquam sumptum ex Cypriano ad Iulianum Imperatorem, reuera tamen cepit ille ex Gregorio VII. *Lib. registri 8. Epist. 21.* & c. Cum ad verum, *dist. 96.* ita legitur: *Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator iura Pont. attribuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpauit. Hoc caput allegat Gratianus ex Nicol. I. Sed videtur acceptum ex eodem Gregorio VIII. & ita in eo habentur eadem prorsus, quæ in c. Quoniam, dist. 10. Et cap. Quæsitum, 22. q. 4. Quæsitum est etiam super his, qui post baptismum administrauerunt, aut tormenta sæua exerceverunt, aut etiam capitalem protulere sententiam, nihil de his legibus à Maiorib. definitum. Meminerant etiam, à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministerio esse datum in huiusmodi vindices. Quomodo igitur reprehenderunt factum, quod auctore Deo videtur esse concessum? Ex his colligi volunt isti, iure ciuili, diuino, & Canonico esse duas potestates supremas omnino distinctas, Imperatoriam, & Pontificiam, & ambas à Deo institutas: Imperatoriam quidem, ministerio & opera populi qui Principem eligit, & creat; Pontificiam vero à Christo, qui Petrum, & in eo successores, vt suos vicarios constituit. Vnde in cap. Cum ad verum, *dist. 96.* ait, has duas potestates à se inuicem discedni, & Imperatorem à Papa gladium non habere, sed à solo Deo; & in cap. Quoniam, *dist. 10.* habetur, Imperium non esse acceptum à Papa. Nam exercitus, inquit, Imperatorem creat. c. Legimus, *dist. 93.* & Imperium à solo Deo habere in c. Quæsitum, 23. q. 2. Et Papam vtrumque gladium non tenere. Alioqui si Imperator ab eo gladium acciperet, licite appellaretur in temporalibus ab Imperatore ad ipsum Papam: quod tamen prohibet Alexan. c. Si duobus, *de appell. & c. Causa, & c. Lator, qui filii sint legitimi,* vbi Pontifex fatetur, ad se iurisdictionem temporalem non pertinere. Hæc ibi Hugo. In hac controuersia, de qua planius tractabo, lib. 9. c. 2. q. 1. & cap. 6. q. 3. reuera nisi labi, & errare**

Matt.

17.

1. Ti. 2.

2. Ti. 1.

Ro. 15.

velimus, negare omnino non possumus, penes Romanum Pontificem esse iure diuino utramque potestatem, spirituales, & temporales: quamuis dubia quaestio sit inter catholicos, qua ratione, & modo sit in Rom. Pontificis temporalis iurisdicção, & potestas. de qua statim dicemus. In praesenti id solum breuiter dixisse sufficiat, penes ipsum ambas esse potestates, quod in ipso iure Canonico est certissimum. in c. Omnes. dist. 22. ex Nicolao Papa dicitur: Romanam Ecclesiam solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis, qui B. Petro aeterna vita clauero terreni simul, & caelestis imperii iura commisit. Vbi Gloss. cuius sententia est communi consensu recepta in verbo, caelestis, ait: Papa habet utrumque gladium, spirituale scilicet, & temporale: Bonifacius etiam VIII. in Constitutione, qua incipit. Vnam sanctam de Maiorit. & Obed. quatuor aut quinque decernit: Primo, credi oportere, vnam sanctam Ecclesiam Catholicam esse. Secundo, vnu esse caput Ecclesiae sub Christo, videlicet Petrum, ac Rom. Pont. eius successorem, Christi vicarium, iuxta illud Ioan. 11. Pasce oves meas. Tertio in potestate Christi duos fuisse gladios, scilicet, Potestatem spirituales, & temporales, iuxta illud, Ecce duo gladii, & Dominus respondit, sufficit. Quarto utrumque gladium esse in potestate Ecclesiae, & traditum à Christo. Spirituales quidem ab Ecclesia exercendum sacerdotis manu, temporalem vero non nisi manu militis pro Ecclesia nuntii sacerdotis. Postremo gladium esse sub gladio, hoc est temporalem potestatem esse spirituali subiectam, tanquam ea maiorem, & infestorem. Accedit, quod in cap. Venerabilem, de Elect. Innocentius III. ait, in primis ius eligendi Imperatorem, Electoribus Imperii conuenire Apostolicae sedis concessu, & auctoritate: & hoc ibi argumentis, & rationibus concludit Pontifex. Sed hoc ad temporalem potestatem spectat. Praeterea in c. Ad Apostolicam, de sentent. & re iudicata in 6. Innocentius I. V. Federicum Imperatorem ob quatuor crimina anathemati subiicit, & omni potestate, & dignitate priuat: & contestatur Pontifex se id facere potestate sibi à Domino in Petro tradita. & Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudic. Clemens V. ait: Nos vacante Imperio Imperatori succedimus: hoc autem dicit Pontifex, quia, vt mox dicemus, Romanus Pontif. Imperium ex Graecis ad Carolum Magnum, & deinde ad Germanos transtulit, & ius Germaniae Principibus concessit Imperatorem Romanorum creandi. Et certe haec sententia quamuis quibusdam iuris Canonici interpretibus propria esse videatur, ex ipso tamè Canonico iure aperte colligitur, nec ab ea ipsi Scholastici Theologi dissentiunt, nisi verbis, & sermone dumtaxat. S. Tho. in 2. sententiarum ad finem libri ait: Nisi forsitan potestas spiritualis etiam spiritualis coniungatur, sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet. idem docet S. Anton. Paludanum sequutus. 3. p. tit. 22. c. 7. & Sylu. in verbo Papa. q. 2. & 10. sequutus Paludanum, & Heruicum & S. Antonium. Henricus, quod libet 6. q. 23. ait, Christum vt hominem caput esse, & monarchiam non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Deinde, in Petro Roman. Pontificem duos gladios, temporalem, & spirituales accepisse. Tertio, Romanum Pontificem gladium spirituales habere non solum iure & habitu, sed etiam vtu, & functione: temporalem vero habere quidem semper iure, & habitu, sed vtu, & functione non nisi in certis casibus. Sic ille. Qui certe eodem modo loquitur, quo Canonici iuris interpretes. & Bernard. lib. 4. de Consider. ad Eugenium, quamuis potestatem temporalem Rom. Pontifici denegare videatur, tamen vtrumque ei gladium concedit, his verbis: Si amas me, inquit. Petre, pasce oves meas: in his succcessisti, non Petro, sed Constantino. dixerat enim prius: Petrus hic est qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericus, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstreptentibus secum ministris. Absque his tamen creditur latis posse impleri salutare mandatum: Si amas me, pasce oves meas. (Et ideo subiungit:) In his (videlicet gemmis, sericis, auro, & ministris) succcessisti, non Petro, sed Constantino. Consulo

Luc. 22

Matt. 16,

Ioan. 21.

toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te peius incito, quorum te scio debitorem et si purpuratus, et si acautus incedens, non est tamen quod horreas operam curamve pastoralis postoris hères: non est quod erubescas Euangelium. Quam si volens, euangelizet inter Apostolos quidem, vitam gloria est tibi. Euangelizare, pascere est. Fac opus euangelizati. & pastoris opus implesti. Dracones, inquit, me moneo pascere, & serpentes, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos: sed verbo, non ferro. Quid tu denno vsurpare gladium tentes, quos semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse: tuo forsitan iussu, & si non tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te peruenires? & is, dicentibus Apostolis: Ecce gladius duo hic: non respondisses Dominus, satis est, sed, Nimis est, Vterque ergo Ecclesiae, & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero, & ab Ecclesia exercendus est, ille sacerdotis, is militis manu: Sed sane ad nuntium sacerdotis, & iussus Imperatoris. Qui vobis Bernardus proficitur id quod postea Bonifacius VIII. definiuit in sua illa Constitutione paulo ante citata.

Baldus in Proemio Decretalium num. 6. Papa est, inquit, seruus seruorum Dei, quantum ad humilitatem, nam quantum ad potestatem, est Dominus dominorum: & quacunque potestas est sub caelo, est in summo Pontifice. Bart. in constit. Henrici 7. in volumine post duos libros feudorum. quae incipit: Adpremiendum: Primo, inquit, fuit imperium Babylonis secundo Persarum, & Medorum, tertio Graecorum, quarto Romanorum, ultimo adueniente Christo istud Romanorum Imperium coepit esse Christi Imperium: & ideo apud Christi vicarium est uterque gladius, scilicet, spiritualis & temporalis. Christus enim est lapis abscissus sine manibus, cuius regnum non dissipabitur: de quo prophetauit Daniel capite secundo. Post Christum igitur omne imperium est apud eum, & eius Vicarium, & transferuntur per Papam in Principem saecularem.

Augustinus Ancon. librum edidit de Potest. Eccles. quem Ioanni XII. dicauit & obtulit: & in q. 1. docet potestatem iurisdictionis spiritualis conuenire Papae secundum immediatam institutionem, & executionem, temporalem vero secundum institutionem, sed non secundum immediatam executionem, nisi in quibusdam casibus.

Aequalis eius Aluarus Pelagius librum quoque scripsit de Planct. Eccles. in cuius etiam lib. 1. cap. 14. ita scribit: Iurisdictionem habet vniuersalem in toto mundo Papa, nequim in spiritualibus, & in temporalibus, licet executionem gladii temporalis & iurisdictioni, per solum suum legitimum Imperatorem, cum fuerit, tanquam per aduocatum, & defensionem Ecclesiae, & per alios Reges, & mundi Principes, & in patrimonio S. Petri, & in regno Sicilia, quod est regnum Ecclesiae, & patrimonium: & in aliis terris Ecclesiae eam per suos rectores debeat exercere. Quia sicut vnus Christus sacerdos, & Rex, & Dominus est omnium: sic vnus eius in terris, & in omnibus Vicarius generalis. Ad haec Hierem. 1. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: Hieremias autem sacerdos fuit typus Papa, vt alium a suo demonstraret ouile, qui Petrum, & successores eius magistros non cognosceret, & pastores.

Ex his omnibus concludimus, veram esse Canonici iuris interpretum sententiam, Romanum Pontificem habere utramque potestatem, spirituales, & temporales, spirituales quidem per se, ac ceteros Ecclesiarum Antistes ac Praefectos administrandam; temporalem vero nõ quidem proxime per se, aut aliarum Ecclesiarum Praefectos exercendam, sed ministerio, & opera Imperatorum, & aliorum Principum, nisi in certis casibus. Sic enim Innocentius III. in cap. Per venerabilem, qui filii sunt legitimi, ait: Tunc ex vetere, quam ex nouo testamento trahentes, quod non alium in Ecclesia patrimonio, super quo plene in temporalibus gerimus potestatem; verum etiam in aliis regionibus, certis causis iustis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus. Hæc ille.

Secundo quaeritur, Quænam sint causae, ex quibus Romanus Pontifex temporalia proxime per se administrat, etiam extra loca Romanæ Ecclesiae ditioni subiecta? Re-

spondeo,

spondeo, eas causas enumerare Glossam communi consensu receptam, in e. *Per venerabilem citato, in verbo, Certia causa*: Atque hæc quidem ex ipso iure Canonico colliguntur. In primis, cum iudex & magistratus civilis non est, tunc enim causa ad Ecclesiasticum iudicem deferatur capit. *Licet ex suscepto, de Foro compet.* Et propterea cum Imperium vacuum est, Romanus Pontifex suo iure succedit, ut ostendat lib. 9. Secundo; cum iudex civilis iuxta leges & iura suo munere, & officio non fungitur, aut quia non vult, aut quia non potest, tunc causa ad Ecclesiasticum iudicem refertur, eodem cap. *Licet ex suscepto*. Tertio; cum quippiam fuerit ambiguum, & obscurum in ipsis causis, in quibus civiles iudices versantur, ac propterea oritura credantur inter Christianos Principes dissidia, & lites: tunc Ecclesia iudex est de causa ambigua & obscura, ut colligitur ex cap. *Per venerabilem supra citato*. Quarto; cum causa est de criminibus, que ad forum Ecclesiasticum pertinent, cuiusmodi sunt usura, & simonia, hæresis, impietas, sacrilegium, violati voti, vel iurissurandi flagitium, cap. 16. *quasi. 2. Et cap. Mundi vitia, 12. questione 2.* Quinto, cum per denuntiationem criminis ad Ecclesiam causa devoluitur, cap. *Nous. de iudicis*.

Ex his manifestum est, quosdam ex iuris civilis Consulcis decipi, dum aiunt, Canones in hac parte sibi iniuriam aduersari, cum in quibusdam aperte dicatur, esse duas in Ecclesia supremas potestates distinctas, Imperatoriam, & Pontificiam, in alii vero contrarium contineri videntur, videlicet in Romano Pontifice esse utramque potestatem, Spiritualem, & temporalem: Pontifices in quibusdam contestantur ad se administrationem temporalem non pertinere, in aliis vero eam sibi vendicant. Item Pontifices interdum aiunt Imperatorem, & Reges superiore in temporalibus carere, aliquando vero fatentur se de his posse vendicare. Cæterum hæc omnia si rite intelligantur, vera sunt, nec sibi iniuriam repugnant. Nam in Romano Pontifice est utraque potestas: spiritualis quidem semper, non solum iure & habitu, sed etiam usu, & administratione: at temporalis solum quidem semper iure, & habitu, sed usu, & actu in certis tantum causis. Et hæc quidem temporalis est in Imperatore, & Regibus ordinaria, non autem commissa, & delegata: sed quamvis ordinaria, est tamen Romani Pontificis potestati subiecta, non quidem quod ad nutum ipsius auferri queat, sed certis ex causis tantummodo.

Tertio quaeritur, Quidam Theologi Scholastici iniores de hac controversia sentierunt, videlicet, An Papa habeat à Christo Domino non solum spiritualem potestatem, sed etiam temporalem? Quidam respondent, idem revera omnino, quod Canonici inter pretes, quamvis inter se verbis dissidere videntur. Caiet. 2. to. *Opus. in Apolog. de auctoritate Pontificis p. 2. c. 13. ad 1.* ait: Romano Pontificem directo solum potestatem habere supremam in administrationem spiritualium: temporalium vero non habere nisi indirecto, quatenus necesse est, temporali gladio, & potestate uti ad spiritualem ipsam tuendam, & conservandam. Eodem modo loquitur Turres. in sum. *de Eccles. lib. 6. tit. 4.* item Cordub. l. 1. q. 57. *Navar. e. Noui de iudic. nos. 3.*

Alii Theologi Romanum Pontificem aiunt absolute, & simpliciter potestatem habere in gubernatione spiritualium: in temporalium vero administratione simpliciter non habere, sed ex conditione, videlicet, quatenus opus est ad bonam spiritualium administrationem; spiritualia enim sine temporalibus consistere, & conferuari nequeunt. Sic Victor. *de potestate Eccles. q. 5. proposit. 2. 4. 6. Et 8. Sol. lib. 4. de iust. q. 4. art. 1. Et alii*. Ex his colligunt, ac ingenue fatentur, idem penitus re docere istos auctores, quamvis non verbis. quod Canonici iuris periti: perinde enim inquirunt isti, ac si dixissent, duas potestates à Christo Domino Romanum Pontificem accepisse, vnam quidem spiritualem, non solum iure, & habitu, sed etiam actu, & functione, hoc est, ut per se ipsam, & cæteros Ecclesiarum Antisti-

tes eam semper administraret: alteram vero temporalem, iure quidem, & habitu suscepisse, sed actu, & functione non nisi per Imperatores, Reges, & Principes ordinarie administrandam, & per se ipsum certis ex causis.

Mihi vero non placet modus loquendi, quo vtuntur Victoria, Sotus, & alii prædicti: quia infinnare videntur, penes Papam solam esse vnam potestatem spiritualem, non temporalem: & spirituali potestate uti, cum temporalia administrat, eo quod necessaria est talis administratio ad spiritualia. In iure enim Canonico, ut ostendi, absolute, & simpliciter dicitur Papam utrumque gladium habere, spirituale, & temporale, iure quidem, & habitu, quamvis usu, & actu, non nisi in certis quibusdam causis.

His, quæ in tribus hisce controuersis dicta à nobis sunt, quædam obijciuntur. Primum quod Romanus Pontifex in Paganos potestatem non habet: ait enim Apostolus: *Quid mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* Ergo Roman. Pontif. non habet potestatem temporalem in totum terrarum orbem. Respondeo, Christi ouile vnum esse tantummodo, in quo alii actu sunt, quos Ecclesia pascit sacramentis, & suis legibus moderatur, & regit. Et hi sunt qui baptisate suscepto Christiani effecti sunt. Alii vero ad ouile Christi actu reducti non sunt, sed potestate, & iure reuocari, & possunt, & debent: huiusmodi sunt Pagani. Christus enim dixit: *Alias oues habeo, (iure scilicet, & potestate) quæ non sunt de hoc ouili, (actu scilicet) Et illas oportet me adducere.* Vnde Rom. Pont. in Paganos non habet ius & potestatem, eos, dum tales sunt, Ecclesiasticis legibus sibi obligandi: habet tamen ius eos ad Christum conuertendi, & adducendi, ipsi Euangelium annuntiandi, impediendique ne Euangelicæ legis promulgationi obstitant, neve in Christi Domini fidem, & religionem maledicta coniciant: ne pacta, fœdera, commercia, quæ sunt iuris gentium, cum Christianis contracta dissoluant, & violent.

Secundo obijci solet: si Papa habet potestatem temporalem in omnes Principes, erunt igitur ipsius Vicarij, siquidem potestatem ab eo delegatam atq; demandatam habebunt: item si Papa habet potestatem temporalem in Imperatorem, quomodo Gregorius I. in epistol. 61. l. 2. *regis. indictio. 11.* vocat Mauritium sæpe Dominum suum, cuius iussu dicit se paruisse? Respondeo in primis: S. Tho. in lib. 3. *de regim. Princip. c. 13.* ait: *Statim ut Christus est natus, Augustus Imperator cepit gerere vices ipsius in terris.* Sic ille. Porro Vicarius dupliciter dici solet. Aut enim est, qui vice fungitur alterius, ad cuius nutum reuocari potest: Aut est is qui potestatem habet, alterius tamen iuri, & auctoritati certis ex causis subiectam, siue ab eo, siue ab alio superiore traditam accepit. Rex enim potest duos magistratus ordinarios creare, vnum tamen ab altero certis in causis pendentem. Christi: ni igitur Principes non sunt ita Rom. Pontif. Vicarij, ut ad nutum ipsius reuocari queant, nec item ut ab eo delegatam, & demandatam auctoritatem habeant, sed habent eam ordinariam, & quidem à Deo, non proxime, sed ministerio tamen, opera, & voluntate populorum eos eligentium, & creatum: & nihilominus Rom. Pontif. iuri & potestati habitu quidem semper subiectam, actu vero certis in causis, reuocabilem, ac proinde ab Ecclesia, & Romano Pontifice habitu, & iure pendentem. Ad illud Gregorij I. respondebo lib. 9. *cap. 6. quasi. tertia.*

Tertia obiectio: Imperium, & Regnum fuerunt ante Pontificiam potestatem à Christo Domino instituta, ergo à Romano Pontifice non pendet. Respondeo, ut constat ex S. Thom. lib. 3. *de regim. princip. cap. 13.* Eo ipso quo Pontificia potestas esse in mundo cepit, ceperunt quoque omnia imperia, & regna mundi quæ ante iam fuerant. Romani Pontificis auctoritati & potestati subijci, & subesse: nihil enim mirum est, si Rex pristinos magistratus longe ante creatos, nouo magistratui subijcit: quoniam vult ut qui antea iam fuerant à se constituti, incipiant ab alte-

1. Cor.
5.

10. 20.

ro rens electo pendere, ob bonam regni administrationem; & ob communem reipublice salutem.

Quarta obiectio: Constitutio Bonifacii VIII. quae incipit: *Vnam sanctam*, est à Clemente V. abrogata in alia Constitutione, cuius initium est: *Meruit*; de privilegiis inter communes Extrava-gantes. Ergo ex ea Constitutione Bonifacii VIII. nihil certi, & firmi colligi potest. Quidam iuris civilis Consulti putant totam eam Bonifacii VIII. Constitutionem à Clemente V. fuisse sublata: eo quod expressum fuerit his verbis vsus: *Nos Regi Philippo, & Francorum Regno, per declarationem Bonifacii VIII. quae incipit, Vnam sanctam, nullam volumus praedictam generari.*

Est itaque animaduertendum, Bonifacium VIII. in sua illa Constitutione inter alia dixisse, esse vnum ouile Christi, & vnam Ecclesiam; & Reges ac Principes esse huius Ecclesiae filios, & huius oues. Item, spiritualem potestatem esse supremam, quae terrenam dirigere, moderari, & iudicare possit, & debeat, quibus verbis Philippus Francorum nimirum Rex offendebatur, conquerebaturque Pontificem Romanum sibi omnem potestatem temporalem vendicare voluisse, & regnum Galliae Beneficiarium, Tributarium, & vestigial Ecclesiae Romanae, & ipsum regem Francorum facere veluti Papae Vicarium, Commissarium, ac Delegatum iudicem, in quem sensum verba Pontificis detorsit. Cum tamen Bonifacii mens ea reuera fuerit, omnes mundi Reges, & Principes, tanquam Christi oues Romano Pontifici subici, vt patris filios, vt pastori oues, vt capiti membra, vt ab eo quisque pro vt ratio, & ius postulat, in omnibus dirigatur, corrigatur, & si opus sit, regno priueatur, ob communem reipublice Christianae salutem tuendam, & bene conseruandam.

Vltima obiectio: Christus Dominus tanquam homo, nullam habuit potestatem in administratione temporali, sed tantum spiritualium, qua sacramenta instituit, Ecclesiam erexit, peccata deleuit, gratiam conuulit, & legem Euangelicam condidit: ergo Petrus, & eius successoribus potestatem temporalem non reliquit; nec enim eam dedit, quam non accepit, nec habuit.

Quarto quaeritur, occasione huius vltimi argumenti. Vtrum Christus Dominus, vt homo, Dominum, & ius temporale in vniuersum mundum habuerit? Quae questio est à recentioribus Theologis agitata, quibusdam eorum asserentibus, quibusdam negantibus. *Victoria in relact. 1. de potest. Eccles. q. 5. quae est, An potestas spiritualis sit supra civilem. num. 15. & seqq. & Sotus libr. 4. de iust. q. 4. art. 1.* Solum Christo tribuunt spirituale, & caeleste dominium, non temporale, & terrenum, quod idem antea senerant Arimacanus. *lib. 4. q. contra Armen. c. 12. Wal. lib. 2. in doctrinali fidei, cap. 76. & 77. Abulen. q. 30. in illud Matth. 21. Ecce rex tuus venit tibi. Burgensis in serutinio script. part. 1. dist. 7. ea potissimum ratione permoti, quod Christus ipse dixerit: Regnum meum non est de hoc mundo; & alibi: O homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos? Et quia veteres Patres videantur eiusdem sententiae fuisse. Nam Ambrosius *lib. 3. in Lucam. c. 3. Non, inquit, saeculari more, honore regnauit. Et postea explicans illud Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, ait: Erat regnum eius, & non erat. Non erat in saecula sed supra saeculum: non erat in mundo, sed supra mundum. Idem lib. 7. explanans illa verba: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? Ait: Bene terrena declinat, qui propter caelestia descenderat. Hieronymus in Hieremiam cap. 12. prope finem, ait: Super thronum Dauid non sedebit homo, sed Deus, & regnum eius erit caeleste, non terrenum. Leo I. *serm. 1. de Epiphania: Dominus mundi temporale regnum non quaerit. & Ecclesia de Christo.***

*Non eripit mortalia,
Qui regna dat caelestia.*

Augustinus idem innuit *lib. 7. de ciuit. Dei. cap. 17.* necnon Cyril. Alex. *in Ioan. c. 18.* & Theophyl. exponens illud: *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid: Ne putes (ait) sedem terrestre regnum intelligi, sed diuinum.* Eodem modo fere locutus est Euthy. *At S. Thom. lib. 1. de reg. princip. cap. 12. & seq.*

Ioan. 18.
Luc. 12.

Luc. 1.

Anton. *p. 3. tit. 3. cap. 2. Hentic. quodlib. 6. q. 23. Almai. de potest. Eccles. c. 8. Turrec. in sum. libr. 2. cap. 116. Nauar. in c. no. ut. de iudic. nu. 8. & 130. & Glossa communi consensu inter Canonici iuris interpretes recepta, aperte fatentur, Christum vt hominem totius mundi fuisse regem principem, ac dominum, quod quidem illi hac vnica tantum ratione concludunt: Non est Christo denegandum, quod eius dignitati, & auctoritati conuenit: ac maxime hoc eius dignitatem decebat, vt esset supremus dominus. Quae sententia mihi magis probatur: nam nihil impedit summa Christi paupertas voluntarie suscepta, quo minus huiusmodi Dominum habuerit, quoniam ea paupertas, quam generis humani redemptio postulabat, vsui rerum, non dominio ac iuri repugnabat; ac propterea Christus se vsu rerum terrenarum abdicauit, vt summum paupertatis exemplum nobis praeberet: non autem dominio, & iure. Queres, Vndenam dominum, & ius rerum mundanarum Christo conueniebat? Respondeo, ea ratione, quia totius mundi redemptor & reparator constitutus est, mundi quoque factum esse dominum. Vt enim Deus ipse, quia mundum ex nihilo finxit, & condidit, supremum habet in mundum vniuersum dominatum; sic etiam quia Christus lapsum mundum erexit, refecit, ac captiuum redemit, est mundi Dominus. Quare hoc dominium non iure aliquo hereditario, non iure belli, non iure electionis humanae, sed eo ipso, quo est mundi redemptor effectus, accepit. Ex quo fit vt huius iuris, & dominij vsum quidem quando voluit, & quo modo voluit, abiecerit; ipsum vero ius, & dominium non item: hoc enim ei conuenit causa redemptionis, & salutis humanae, qua mundum libertatis regno restituit. Vnde Paulus *ad Hebr. 2.* docet, Christo esse omnia subiecta; & ipse Christus *Matth. vlt. Datus est, inquit, mihi omnis potestas in caelo, & in terra.* Vbi absolute dicens, omnia, nihil exclusit. Et Ioan. *Apo. 1.* dicit de Christo: *Qui est princeps regum terra.* & *Apo. 6. & 19.* dicitur habere in senore, & in vestimentis suis scriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium:* Et *Petrus Act. 10. Hic est Dominus omnium:* Paulus etiam *ad Philip. 2. Factus obediens vsque ad mortem, & c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum.* Vnde quidam aiunt, etiam ipsum hoc ius, & dominio fuisse vsu aliquando. Etenim *Matth. 21.* siculneam arefecit, quae erat in patrimonio, & bonis alterius, & *Matth. 23.* permittit daemones in porcos intrare, qui eos in mare praecipitarunt: *Ioan. 2. & Matth. 21.* eiecit de templo ementes, & vendentes, qui alii restituerunt. Primo obicit: Redemptioni & saluti hominum potius conuenire videbatur, vt mundi opes, potentiam, regnum, & imperium contemneret ob paupertatis exemplum, & humilitatis. Respondeo, iuris magnum paupertatis exemplum dedisse, quod cum iure redemptionis regnum mundi ipsi conueniret, vsu tamen sua sponte deposuit: Et SS. Patres cum spirituale Christi regnum appellant, intelligunt vsu, & actu fuisse tantum spirituale.*

Secundo obicit verbum illud Christi *Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo:* illud etiam *Luc. 12.* quod idem Christus dixit cuidam: *O homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* *Ioan. 6. cum cognouisset, quod uellent eum Regem facere, auisugit.* Respondeo, cum *August. in cap. Ioan. 10.* non dixisse Christum, Regnum meum non est in hoc mundo: sed, non est de hoc mundo: non, inquit, August. dixit Christum, regnum meum non est hic, sed, non est hinc, ac si diceret, Non est ex hominibus, videlicet origine, institutione, & electione, cuiusmodi sunt imperia, & regna mundana. Christus regnum diuinitus acceptat iure redemptionis, & quia huius regni vsui renuntiauerat, merito dixit: *Quis me constituit iudicem inter vos?* Porro *Ioan. 6.* fugit, ne Rex crearetur: regna etenim mundana repudiavit vsu & administratione, at vero ius & dominium mundi sibi ex eius redemptione conueniens retinuit.

Tertio

Tertio obiicit, Frustra in Christo fuisse talem potestatem, si se illius usu abdicauit: frustra enim est potestas que nunquam ad actum reducitur. Respondeo, quamuis natura potestatem non det, quae semper actu careat: saepe tamen potestas, ius & dominium est penes vnum, v. s. vero, & administratio penes alium. Directum dominium, & proprietates rei saepe est apud vnum, & apud alium usufructus.

Quarto obiicitur, Minime constare quandonam Christus, hoc ius, & dominium accepit, nam *Matth. ult. im.* postquam returrexit, dixit datam sibi esse potestatem. Respondeo, cum *S. Thom. lib. 3. de regimine Principum, cap. 14.* id dominium accepisse Christum ab eo temporis momēto, quo est in vtero matris conceptus, tunc enim cepit esse mundi redemptor, & reparator. *Matth. vltim. dixit: Data est mihi omnis potestas;* quia tunc diuinitus est declaratum, eum esse viuorum & mortuorum iudicem constitutum.

Sexto quaeritur, An Imperium Romanum, ita subdit ecclesiae, ut ab auctoritate Romani Pontificis deriuetur ac pendat? Quod est quaerere, An Romanus Pontifex ita supremam habeat iure diuino in Ecclesia potestatem, ut ius etiam habeat in ipso Imperatore: Quam quoque quaestionem latius disputabo, *lib. 9. cap. 2.* nunc breuiter, quod attinet ad praesens institutum. Haec quaestio fuit diu, & multum agitata inter Iuris ciuilibus, & Canonici interpreses: illis contendentibus, nequaquam a Romano Pontifice Imperium deriuari: his contra affirmantibus, datum esse Imperium a Papa. *Martilius Patavinus*, non solum negabat Imperium a Pontifice dari, sed etiam asserbat, Imperatorem Pontifici non subiaci: imo etiam aiebat Christum, vt hominem fuisse Imperatori subiectum: tam quia tributum ei debitum soluit: tum etiam quia ipse Pilato dixit: *Non haberes potestatem aduersum me villam, nisi tibi datum esset de super:* vbi confessus est, Pilatum ab Imperatore praesidem constitutum, ius in ipsum habuisse. *Bartolus in l. 1. ff. de re iudic. reus* testatur, *Dantem Florentinum* portam, fuisse damnatum post mortem, tanquam haereticum, eo quod docuisset Imperatorem a Pontifice non pendere: idem ex parte senserunt *Gulielmus Ocham*, & *Ioan. Parisiensis*. Profecto ex Canonico Iure constat, Imperium quale nunc est, a Romano Pontifice dari, ipsique subiaci: & Imperatorem Romani Pontificis potestati subesse. Quod vt ostendam, primum mihi dicendum est, Imperium Romanorum a Graecis ad Francos, & a Francis ad Germanos auctoritate summi Pontificis fuisse translatum. Certum est Romanum Imperium ante Pontificem in Caesare Augusto cepisse, & ante Constantinum modo ab vno, modo a pluribus Augustis pari potestate regi, & administrari solitum: vnum tamen censeri. Deinde vero postquam Constantinus Byzantij sedem Imperatoriam collocauit, diuisum est Imperium in duas partes, quarum vna Imperium Orientis, altera Occidentis appellari coepit. Et Imperium ita diuisum plerumque duo Caesares, aliquando vnus solus Princeps administravit. Tandem cum Graecorum Imperator Italiam per *Exarchos* gubernaret, nec eam a Longobardorum irruptionibus tueri iam posset, anno salutis octingentesimo primo in ipso die Natalis Domini creatus est in Vrbe, Romanum Imperator *Carolus Magnus*, Rex Francorum, ac propterea Occidentale Imperium a potestate Graecorum ad Francorum ditionem translatum est, & respublica Romana rediit ad eum pristinum statum, in quo eam Constantinus Imperator constituerat, & in quo a *Valentiniano* seniore vsque ad *Augustum* siue *Augustulum* vltimum Occidentis Imperatorem permanserat. Huius vero translationis Occidentalis Imperij auctor fuit *Leo III.* aut solus, aut praecipuus certe atque primarius: quam quidem translationem omnes historici communi consensu literis prodiderunt. *Zonaras* in vita *Irenes*, & *Constantini*: *Roma*, inquit, *profus Franci potiti sunt, Carolo a Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato:* & post

ea sub *Constantino*, & *Irene*, ait: *Leo Francos Romam admittit, & sic Italia vniuersa, & ipsa Roma sunt potiti.* Et infra: *At Francorum Dux Carolus, Imperator Romanorum a Papa Leone appellatus, missis ad Irenem legatis, nuptias illius appetiuit, cum nec illa ab eo coniugio abhorreret.* *Cedrenus Graecus* etiam auctor in vita *Irenes* & *Constantini*: *Venerunt*, inquit, *a Carolo, quem Leo Papa Roma Imperatorem coronauerat, legati ad Irenem, eam in ipsius uxorem petentes.* *Paulus Diaconus lib. 23. Rerum Romanorum:* *Leo Carolum Imperatorem coronauit in Templo sancti Petri Apostoli, perungens oleo a capite vsque ad pedes, & circumdanti Imperatoriam vestem & coronam, V 111. Kalend. Ianuarii indictione decimona.* *Aginhartus Pauli Diaconi aequalis, & ipsi Carolo Magno familiaris, idem tradit, in vita Caroli Magni;* addens etiam hoc: *Augusti nomen adeo est auertatus, vt affirmaret, se eo die, quamuis praecipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consuetum praesire potuisset.* Idem libro 4. de *Gestis Franco. cap. 92.* commemorat *Aymonius*, siue vt ab aliis vocatur, *Ammonius*, siue *Annonius*, qui vixit tempore *Ludouici Pij*, vt ipse indicat libro 5. cap. 17. *Ado, Episcopus Vienen. in Chronico, atate 6.* *Rhegino Abbas Prunienfis in Chronico. lib. 2.* *Witichindus Corboien. Monachus in lib. 3. Regnorum Saxonico.* *Rheginonis aequalis, Luitprandus Diaconus Ticinens. lib. 6. cap. 6.* *Herman. Contract. in Chron. ann. 881.* *Marianus Scotus* eiusdem aequalis in *Chron. Lambert. Scafinbrugenfis in Hist. Germanica, loquens de Carolo Magno:* *Orho Episcopus Frisingen. lib. 5. cap. 31.* *Gottfriedus Viterbical. an. 801.* *Conradus Abbas Vclpergen. in Chron. quos secuti sunt caeteri iuniores, Blondus dec. 2. lib. 1. Trithem. in Catalogo scripto. Ecclesiast. Platina in vit. Leonis III. B. Antonin. in parte 2. tit. 4. Naucle. Generat. 27. Polydor. lib. 4. de Inuentoribus rerum, cap. 7. Volaterian. lib. 3. Geograph. vnde Innocent. III. in Epist. ad Ducem Thuringiae, vt habetur in cap. Venerabilem. de elec. sic ait: Illis Principibus ius, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, recognoscimus, vt debemus, ad quos de antiqua consuetudine noscitur pertinere: praesertim cum ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenit, quae Romanum Imperium in personam magnifici *Caroli a Graecis* translulit ad Germanos. Et *Clemens V.* in Concilio Generali Viennensi decretum edidit de Iureiurando, quo Imperatores sese Pontificibus obstringunt, vt habetur in *Clement. Romani. de iureiuran.* His verbis: *Romani Principes Orthodoxae fidei professores sacrosanctam Ecclesiam, cuius caput est Christus redemptor noster, ad Romanum Pontificem eiusdem redemptoris vicarium, seruire fidei, & clara deuotionis venerantes, eidem Romano Pontifici a quo approbationem persona ad Imperialis celsitudinis apicem assumenda, nec non vntionem, consecrationem, & Imperii coronationem accipiunt, submittere caput non reputarunt indignum, seque illi, & eidem Ecclesiae, quae a Graecis Imperium translulit in Germanos, & a qua ad certos eorum Principes, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum peruenit, adstringere vt iuramenti, pro vt mos iam obseruationis antiquae temporibus nouissimis renouata, quam forma iuramenti huiusmodi sacris inserta Canonibus manifestauit.* *Hadrianus IV.* in Epistola ad Episcopos Germaniae, quam refert *Auentinus* libro 4. *Annalium Boiorum:* *Ideo*, inquit, *Imperium a Regno Graecorum translatum est in Alleanos, vt Rex Theutonicorum non, antequam a Pontifice Romano consecraretur, Imperator vocaretur, & esset Augustus: Pontifex Romanus promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator.* *Alexander III.* Legatis Graecorum qui Occidentale Imperium iterum cum Orientali coniungi cupiebant, respondisse fertur, teste *Platina*, senolle in vnum coniungere, quod olim de industria maiores sui disunxissent.*

His quaedam obiiciunt aduersarij: Imperium Carolo Magno esse datum auctoritate Senatus & populi Romani, consilio Romani Pontificis. Nam *Sigebertus* in *Chronico*, anno octingentesimo primo sic ait: *Romani qui ab Imperatore Constantinopolitano tam diu animo desierant, nunc ac-*

cepta occasione opportunitate, quia mulier excacato Imperatore Constantino filio suo eis imperabat, uno omnium consensu Carolo Imperatoris laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papa coronant, Caesarem & Augustum appellant: Pipinum vero filium eius Regem Italia ordinatum appellant. Idem tradit Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum: Pontifex, Senatus, Populusque Romanus Imperium transferre iure suo in Germanos, Carolumque tacito Senatus consulto Plebisque iure decernit. Blondus: Precibus, inquit, Populi Romani, Leo Pontifex, Carolum Imperatorem dixit. Idem etiam tradit Leopoldus historicus his verbis: *Acclamante, & petente populo Romano, Leo Papa vixit, & promouit Carolum Imperatorem, & Augustum appellauit.* Respondeo, haec omnia nihil obstat: tum quia historici vetustissimi, tum Latini, tum Graeci, quos supra produximus, plane testantur translatum esse in Carolum, & Germanos Imperium, auctoritate Leonis III. Romani Pontificis: tum etiam quia idem dicere voluerunt, Sigebertus, Vincentius, & alii, qui nobis opponuntur auctores, quamuis id aliis verbis expresserint: videlicet, Populo Romano Imperij translationem petente, & ad id sua suffragia ferente, & perinde Rom. Pontifice Carolum, quem populus petebat & eligebat, confirman- te, vngente, & coronante, ac tandem populo etiam acclamante, & applaudente.

Ex his omnibus perspicitur, post constitutam à Julio Caesare, & Augusto Monarchiam, Romanos Principes, & Imperatores aut ab alio Principe consueuisse nominari, designari, & eligi, aut ab exercitu creati, quod frequens fuit, aut à Populo vel Senatu constitui, quod rarius accidit: ac à Graecis Imperium ad Germanos, Romani Pontificis auctoritas potissimum transtulit, quamuis non sine populi precibus, consiliis, suffragiis, & acclamationibus. Sexto quaeritur, An Imperium Romanum à genere Francorum ad Germanos, Romani Pontificis auctoritate transtulit? Negant haeretici: & quidam scriptores Germani testantur id factum esse Procerum, & Principum Germanorum consilio, & auctoritate. Animaduertendum est, Carolum Magnum à Leone III. coronatum fuisse, cui successit Ludouicus Pius, filius, quem Stephanus IV. alias V. Rhemis in Gallia coronauit an. 815. teste Othone Frisingensi libro 5. cap. 33. Ludouico mortuo Lotharius filius imperauit, quem Paschalis I. Romae coronauit anno 812. ut refert idem auctor eodem lib. cap. 34. Post Lotharium Ludouicus filius Imperator creatus est, quem Sergius II. Romae coronauit an. 844. teste Adone Viennensi in Chronico, in aetate VI. Ludouico Iuniori Carolus cognomento Caluus, successit, patruus eius, videlicet Lotharij frater, ex primo Ludouico seniore. Coronauit autem eum Romae Ioannes VIII. anno 874. teste Reginone lib. 2. in Chronico. Post Carolum Caluum euectus est ad Imperium filius Ludouicus, cognomento Balbus, eodem auctore: quem coronauit idem Pontifex anno 877. Post Ludouicum Balbum suscepit Imperium Carolus Crassus, filius Ludouici Germaniae Regis: qui Ludouicus Caroli Magni ex Ludouico Pio filio nepos erat. Coronauit eum idem Ioannes VIII. Romae anno 878. teste Othone Frisingensi lib. 6. cap. 8. Post Carolum Crassum Imperium obtinuit Arnulphus Germanorum Rex, quem Formosus Papa Romae coronauit anno 896. Ut auctor est Regino in Chronico. Fuit autem Arnulphus Caroli Magni filius, nepos Ludouici Germaniae Regis. Arnulpho defuncto Imperauit Ludouicus, qui in Prouincia regnabat, filius Bolonis Prouinciae Regis, qui erat nepos Ludouici II. Imperatoris, & Italiae Regis. Ludouico successit Conradus Germanorum Rex, Arnulphi ex alio Conrado nepos, & in hoc Ludouico finita est Caroli Magni familia in Imperio Romano, ut constat ex Abbate Vrspergensis in Chronico, anno 914. Conrado successit Henricus I. ex gente Saxonum, cognomento Auceps. Is Henricus Arnulphi Imperatoris nepos erat ex filia, ac proinde ex matre genete Francus, ex familia Caroli Magni, ut demonstrat Albertus Krantzius lib. 2. Saxoniae c. 33. Ex sexu paterno non Francus, sed Saxo erat:

at nec hic, nec Conradus, nec Ludouicus à Pontifice Romano coronati sunt in Imperatores, ac proinde Reges tantum fuerunt. Henrico successit filius Otho I. cognomento Magnus: quem Ioannes XII. Romae coronauit anno 963. Cui successit filius Otho II. & deinde nepos à filio Otho III. qui, & ipsi sunt à Rom. Pont. Imperatores coronati.

Septimo quaeritur, An septem Germania Principes Electores Imperatoris, auctoritate Romani Pontificis sunt constituti? Animaduertendum est fuisse decretum, ut septem Principum Germanorum suffragiis Imperator creetur: ex his autem Principibus, tres sunt archiepiscopi Germaniae: scilicet Moguntinus, Cancellarius Germaniae; Treuerensis, Cancellarius Galliae; Coloniensis, Cancellarius Italiae: Quatuor alii Principes, sunt; scilicet Comes Palatinus, Dapifer: Marchio Brandeburgensis, Camerarius: Dux Saxoniae; Episcopus: Rex Bohemiae, Pincerna. Vnde versus:

*Magdeburgensis, Treuensis, Coloniensis,
Quilibet Imperij sit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio Praepositus Camera: Pincerna Bohemus.
Hic statuum Dominum cunctis per saecula summam.*

Porro illius Decreti, quatuor videntur fuisse partes: prima, ut non iure haereditario successio, sed suffragiis eligentium Imperator creetur. Altera, ut soli principes, non populus, ius habeant eligendi. Tertia, ut hi principes Germani sint, ad quos initio translatum Imperium fuerat. Postrema, ut non omnes principes Germaniae, sed sex dumtaxat, aut septem eligant. Rex enim Bohemiae non eligitur, nisi cum sex Principum suffragia pari numero dissident.

In dubium igitur vocatur, An huiusmodi Decretum fuerit Romani Pontificis auctoritate constitutum? Historici omnes uno ore tradiderunt, esse Romani Pontificis auctoritate sancitum. Haeretici vero dissentunt. Sed aua: communi Principum Germanorum consilio & auctoritate constitutum. Innocentius III. in cap. Venerabilem. De elect. his verbis aperte testatur: *Illis Principibus ius ac potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere: praesertim cum ad eos, & potestas huiusmodi ab Apostolica sede prouenit.* Ex Clemens V. in Concilio Generali Viennensi, quod refertur in Clement. Romani, de iurisdictione, Ecclesia, inquit, Romana à Graecis Imperium transtulit in Germanos, & ab eadem ad eos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, peruenit. Hoc idem testantur historici, & auctores tum Theologi, tum Canonici iuris, & ciuilibus interpretes, ut S. Thom. de regimin. princip. lib. 3. c. 19. Hostien. & alii. in c. Venerabilem. De elect. Aluarus Pelagius. De Plantis Eccl. art. 13. §. 21. & 37. §. 41. S. Antonin. par. 2. tit. 17. c. 4. & Ioannes Viennensis lib. 4. Historia cap. 2. Augustinus Triumphus de potestat. Eccl. q. 35. Martinus Polanus, in vita Gregorii V. Quaes. Cuius primum Pontificis Romani auctoritate fuerit huiusmodi Decretum sancitum? Onuphrius contra communem omnium historicorum sententiam tradit in Libello de Comitibus Imperatoris, se certo comperisse, hoc Decretum incidisse in illud tempus, quod inter mortem Federici II. & creationem Rodulphi Imperatoris intercessit: additque id sibi probabile videri, eam Constitutionem Gregorij X. auctoritate, in Concilio Lugdunensi editam fuisse. id accepit Onuphrius ex Auentino, qui lib. 5. Annalium Boiorum de septem Imperij Electoribus loquitur, sic ait: *Ego illos demum post facta Federici I. institutos, & à Greg. X. institutos esse compertum habeo.* At ceteri historici passim testantur id instituisse Greg. V. tempore Othonis III. Imperatoris.

Certe, dum modo fateamur, quod constans omnium historicorum sententia tradit, eam fuisse Romani Pontificis institutionem, non multum refert, an id Gregorius Quintus, an Gregorius Decimus, decreuerit. Sed cum sepiem Imperii Electoribus, qui auctoritate Gregorij Quinti,

tempore Orthonis III. constituti sunt, meminerunt, sanctus Thomas libro tertio, de regim. principum, capit. 19. August. Triumphus in summa, de potestate Ecclesia questione trigesima quinta, Alvarus de Platitu Eccles. libro primo, cap. 21. Et 37. Hostiensis, & alii in cap. Venerabilem de elect. Blondus decado 2. lib. tertio. Et Platina in vita Gregorii V. Aeneas Silvius in epitome Blondi: Longe probabilis videretur, id Pontificium decretum ante Gregorium X. fuisse sancitum. Sed obicit Onaphrius, mirum fuisse silentium apud omnes scriptores veteres, & praesertim eos qui tempore Gregorii V. & Orthonis III. aut paulo post vixerunt. Nihil, inquit, de hac re Vitiichindus, nihil Luitprandus, nihil Lambertus, nihil Regino, nihil Marianus, nihil Otho Frisingensis, nihil Abbas Vrspergensis, nihil Sigebertus prodiderunt. Deinde peccurrit omnes electiones Imperatorum ab Ohone III. usque ad Federicum II. factas: & ostendit, eos electos fuisse non a septem tantummodo Principibus Germaniae, sed ab omnibus, quotquot ex Germania, & Italia convenire, & interesse voluissent. Respondeo, pluris esse habendam auctoritatem historicorum aliorum, qui huius sanctionis Pontificiae ante Federicum II. & Gregorium X. meminerunt. Rursus etiam per hoc Pontificium decretum ius eligendi Imperatorem, fuit ad septem Germaniae Principes redactum: non tamen initio à septem dumtaxat eligebatur, quia palatium decretum cepit vtu recipi. Item fortassis ad electionem plus quam septem Principes convenire consueverant: verum tamen septem tantum in electione suffragia ferebant: Ceteri vero electum à septem Principibus acclamantes, rite & legitime creatum Imperatorem agnoscebant, & approbabant, & venerabantur.

Ex his omnibus perspicitur, Imperium Romanum quale nunc est, ex Romani Pontificis auctoritate pendere tanquam ei subiectum: quod Innocentius III. in cap. Venerabilem, de elect. contendit: eo quod Pontifex sua auctoritate illud à Graecis ad Germanos transtulerit, & eo quod Pontificis sit, electum à Principibus in Imperatorem examinare, approbare, yn gere, consecrare, & coronare. Et idem in cap. sollicita, de maiorib. Et obedientia, argumentis, & rationibus concludit; quod etiam longe ante probauerat Gregorius Septimus, ut constat ex libro 8. Epistola 21. registri. Imperium sacerdotio non praesert, sed subesse: quod colligit ex scripturis. Nam Hierem. cap. 1. dicitur est, à Domino ad Prophetam: Ecce constitui te super gentes, & regna, ut euellas, & dissipas, adifices, & plantes. Item ex eo quod Deus fecit duo luminaria in firmamento caeli; luminare maius, ut praesert dies, & luminare minus, ut praesert nocti. [Vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur caeli, id est, vniuersalis Ecclesiae fecit Deus, duo luminaria magna: id est, duas instituit dignitates: quae sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa quae praesert diebus, id est, spiritualibus, maior est: quae vero carnalibus, minor: vt, quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.] Et postea: Nobis in B. Petro sunt oues Christi commissa, dicente Domino: Pasce oues meas, non distinguente inter eas oues & alias, ut alienum à suo demonstraret ouili, qui Petrum, & successores ipsius magistros non recognosceret, & pastores. Vt illud tanquam nouissimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro ad successores suos: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, & quae sequuntur nihil excipiente qui dixit: Quodcumque solueris: quodcumque ligaueris. Et cap. Ad Apostolicam. De ieiunio. Et re iudicatis in 6. Innoc. IV. in Conc. generali Viennensi Imperatorem priuat Imperio his verbis: Nos itaque cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione praehabita, cum Iesus Christus vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in beati Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaueris super terram, ligatum erit & in caelis, memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omniumque honore, & dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates à Deo, ne regnet, nol imperet, est abiectus, sua ligatum peccatis, & abiectum, om-

nique honore ac dignitate priuatum à Domino ostendimus, denuntiamus, & nihilominus sententiam priuamus. Omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuo absoluentur, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel intendat. Decernendo, quoslibet qui eis deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium praestiterint seu fauorem, ipso facto excommunicationis sententia subiacerent. Illi autem ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. Bonifacius etiam VIII. in constitutione quae incipit: Vnam sanctam, de Maioritate & Obedientia inter Extraneos communes, definit tanquam necessarium ad salutem, credere oportere, vnam esse sanctam Ecclesiam, cuius vnum sit caput, Christus videlicet, & Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oues meas, generaliter, & non singulariter has vel illas: & in hac potestate duos esse gradus, scilicet spirituales, & temporales: Et infra: Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiecti potestati. Quod Pontifex ibi demonstrat: Primo quia spiritualis auctoritas nobilitate terrenam quamlibet antecedit potestatem, sicut spiritualia temporalibus praesert. Et propterea decimam partem fructuum accipit sacerdos à populo, & bene precatur ei, & populus saceratur à sacerdote. Spiritualis item potestas terrenam instituit, & iudicat, si à recto abertet. Haec omnia dicit Pontifex propter ea quae in veteri Testamento continentur. Nam primum, à Deo sacerdotium est institutum: postea vero per sacerdotium, iussu Domini, regalis potestas. Samuel enim Saulem iubente Domino regem creauit. Concludit igitur Pontifex, à spirituali potestate posse terrenam institui, iudicari, transferri, abrogari, iuxta illud Hierem. 1. Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, & quae sequuntur: spirituales vero potestatem à terrena iudicari non posse, sed à solo Deo. Item in cap. alius, 15. questione sexta, dicitur: Alius item Romanus Pontifex, Zacharius scilicet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tanta potestati erat iniustus, à regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum substituit. omneque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. Vbi est animaduertendum, Gratianum hoc citasse tanquam ex Gelasio Papa, ad Anastasium Imperatorem: cum tamen Gelasius I. & Anastasius Imperator longe ante Zachariam Pontificem, & Pipinum regem Francorum vixerint: quod igitur citandum erat ex Gregorio VII. Gratianus Gelasio I. tribuit. Propterea, in cap. Duo sunt, distinctione 96. ita legitur: Duo sunt quippe, Imperator Augustus, qui us principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. Nostit itaque inter hac, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem. Et in cap. Si Imperator, eadem distinctione dicitur: Si Imperator Catholicus est (quod salua pace ipsius dicimus) filius est, non Praesul Ecclesiae. Subdit: Ad sacerdotes Deus voluit quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiae sacerdotibus voluit esse subiectas. Et in cap. Tibi Domino, dist. 63. Imperator iureiurando se Romano Pontifici obstringit: Ibi enim Otho I. Rex Germaniae, iureiurando promittit Ioanni XII. se sanctam Romanam Ecclesiam, & eius Rectorem exaltaturum, & eius defensorem futurum. Nam ab eo tempore, quo Imperium auctoritate Pontificis est à Graecis in Germanos translatum, Imperator est Romanae Ecclesiae patronus, & defensor institutus, ex cap. Grandi, de supplem. negli. Pralato in 6. Regi male reipublicam administranti, auctoritate Romani Pontificis datur adiutor. cap. licet ex suscepto, de foro compet. ob negligentiam ciuiliu magistratum ac principum causa ad ecclesiam deuoluitur. Item c. administratores. 23. q. 5. cogit ecclesia ciuiles magistratus, & principes ius cuique dicere c. decernimus, de sen. excomm. in 6. cap. Licet. de iureiur. can. 2. de foro compe. in 6. Sua auctoritate compellit Ecclesia ciuiles iudices Canonicas leges & iura obseruare.

His quae diximus, duo obiciuntur. Primum est Regi

Franco-

Gm. I.

Ma. 21.

Mat. 16.

Francorum Childerico non esse Romani Pontificis auctoritate regnum ademptum, & Pipino datum, sed Procerum suffragiis Childericum regno priuatum, in monasterium detroctum fuisse, & Pipinum Regem creatum. Nam Ado Viennensis in Chronico, anni 749. ita scriptum reliquit: [Pipino, per Brocardum Herbipolentem Episcopum ad sedem Apostolicam referente, Zacharias Papa respondit: Regem potius illum debere vocari, qui reipublicam regeret: Vnde per consilium Legatorum, & Zachariae Franci Pipinum sibi regem constituerunt.] Et Sigebertus in Chronico anni 750 Childericus, inquit, Rex Francorum in Monasterium conuersatur: Pipinus Princeps auctoritate Apostolica electione Francorum à S. Bonifacio Moguntino archiepiscopo in regem ungitur, & consecratur. Aymonius lib. 4. cap. 61. refert, Pipinum Procerum suffragiis fuisse regem electum. Glossa eadem in cap. Alius supra citato in verbo. Deposuit, ait: Dicitur deposuisse, quia deponentibus confestim. His argumentis Marcellus Patavinus olim in lib. de translatione Imperii. cap. 6. & postea Hottomannus in sua Francogallia. cap. 13. tentantur, commentum esse, quod dicitur de Zacharia, qui Francorum regem Childericum è regno deiecerit, Pipinum creati iussit: Quoniam vera, inquit, historia est, Procerum, & ciuitatum suffragiis, in publicis Comitibus Pipinum esse regem electum; & regnum Childerico abrogatum. Sed profecto Marcellus, & Hottomannus nihil aliud contendunt, nisi schisma, & haeresim etiam in Ecclesia excitare. In primis Sigebertus, quem pro illi auctores citant, plane & aperte testatur, auctoritate Apostolica, & electione Francorum Pipinum Principem electum: ergo electionem dicit auctoritate Apostolica factam. Et Regino in Chronico: Iussit, inquit, Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum regem creati, & Sanctae unionis oleo ungi, ne perturbaretur Christianitatis ordo. Lambertus anno 748. Pipinus, ait, decreto Zachariae per unctorem S. Bonifacii Archiepiscopi rex appellatus est, qui antea Maior domus vocabatur. Idem Marianus Scotus. Abbas Vipspergensis anno 750. Zachariae consultus, auctoritate sua iussit Pipinum regem constitui. O. ho Frisingensis libro 5. cap. 22. Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & aliis Regni Principibus in regem eligitur. Idem quoque refert Landolphus.

Tota igitur quaestio est, An Childericus sit è regno pulsus, & Pipinus rex creatus consilio tantum & consensu Romani Pontificis, an vero eius tantum iussu, & auctoritate? Non negamus nos, quod falso Marcellus & Hottomannus putarunt Pipinum esse communi ciuitatum, & Procerum suffragiis regem electum, sed accedente quoque Zachariae Pontificis auctoritate. Negant id auctoritate Pontificis factum, sed consilio dumtaxat, timent vbi nihil timere debent. Timent ne penes Romanum Pontificem sit libera potestas eligendorum, mutandorum, & creandorum regum; cum tamen, inquit, Francorum reges regnum Pontifici acceptum non referant. Timent, quod putant Bonifacium Octauum in constitutione. Vnam sanctam, de Maiori. & Obed. inter Extrauagantes communes, sanxisse, posse Romanum Pontificem libere reges & principes constituere, & regnum adimere. Et citant Platynam dicentem de Bonifacio Octauo. Moritur Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, & Populis timorem incutebat, quique dare Regnum, & auferre pro arbitrio suo conabatur. Sic ille. Sed nihil est quod timeant. Nec enim catholici vnquam tradiderunt, posse Romanum Pontificem pro suo arbitrio regna dare, vel tollere, sed tantum id posse certis ex causis: atque id iuris & potestatis à Christo accepisse. Nec Bonifacius Octauus in sua illa constitutione definiuit posse à Romano Pontifice pro libera sui animi voluntate reges institui & destitui, sed tantummodo iustis ex causis, quod idem iam ante Innocentius Tertius, & Innocentius Quartus constituerant: Et alii Pontifices multo antea fecerant. Nec mens Bonifacii fuit, vt Franci regnum Romano Pontifici acceptum referrent: sed vt agnoscerent, Christianos

reges, eo quod sint Christi oues, eius vicario esse subiectos, & eorum regna & impetia ita à Romano Pontifice pendere, vt iustis & certis ex causis abrogari & admissa sint.

Secundo alii obiciunt: Saepe in iure Canonico, & cituli legimus Imperium esse Dei concessa datum, adque ministerio, & opera populorum, vel militum Imperatorem eligentium, ergo Romanum Imperium non est Roman. Pontif. auctoritate constitutum. Respondet: nec in hoc etiam est quod haeretici calumniantur, quod non catholici Roman. Pontif. adulemur: nec enim negamus, Romanorum Imperium ante pontificiam potestatem esse institutum: sed contendimus, Imperatores, qua ratione Christiani sunt, supremo Christi vicario tanquam oues suo pastori subiecti, & tanquam filios suo patri subesse, & tanquam capiti membra. vnum est corpus Ecclesiae, huius corporis vnum est caput, quod est Rom. Pontif. non Imperator, & Imperium Romanum auctoritate Pontif. esse à Graecis in Germanos translaturum fatemur. Notant ipsi haeretici id factum fuisse Roman. Pontif. auctoritate, sed principum Germanorum suffragiis, quamuis summi quoque Pontificis consilium & consensus accesserit: at haeretici veteres tradiderunt, id decreto & auctoritate Roman. Pontificis constitutum. Et quidni Pontificis auctoritate factum esse credamus, cum id iustitiae causa postulauerint? Erant enim Graeci Imperatores magna ex parte Schismatici, haeretici, sacrilegi, Romanae, & Latinae Ecclesiae infectores, hostes: Communis item Italiae pacis, tranquillitatis, & salus perturbabatur periclitabaturque, Sarracenis & aliis impijs gentibus adhuc in eam irruentibus, & hostilibus non solum animis, sed etiam armis oppugnantibus. Egebat ergo reipublica Christiana Imperatore, qui tanquam Ecclesiae patronus, & defensor eam protegeret, vteretur, conseruaret. Quibus ex causis, & id genus alijs ingenue profitemur, penes Romanum Pontificem esse potestatem non solum spirituales, qua subditos sibi Principes à sacris, & piorum communione prohibeat, & qua populos ipsi subiectos à Sacramenti, & iurifurandi religione & vinculo soluat: sed etiam qua possit regna abrogare, transferre, mutare, & dare, ob communem Ecclesiae, & reipubl. Christianae salutem, & ob Principum indignam administrationem.

C A P. XX.

De iis, quae iure Canonico, & diuino, sunt Romani Pontifici reseruata.

IVris Canonici Doctores alii plura, alii pauciora connumerant inter ea, quae soli Rom. Pontifici reseruantur. Gloss. in cap. 1. & in cap. Quod translationem, de transit. Episcop. & in cap. si quis vnus, de excess. Prala. vnde cum tantum recenseret huius vericulis contenta.

Restituit Papa solus deponit, & ipse, Articulos soluit: Synodum celebrat Generalem, Transfert, & mutat: Appellat nullus ab ipso, Diuidit, ac vnus: Eximit atque probat.

Hos etiam vericulos ponit Goffredus in summa. Reuerentius vero viginti quatuor testatur ex Iure Pont. Rom. reseruati. At Host. sexaginta refert his veribus inclusa.

Si sit Catholicus, Papam non iudicat vllus. Erigit, & subiecti Catholicos, & diuidit, vnus: Mutat vota Crucis: restituit, & eximit, ad se Maiores causa referuntur, legitimatque. Promouet, appellare vetat, prohibet profuturi. Deponeat, transfert, supplet, renouat illi Praesul, & exemptus, Simon, Iurans, anas beama. Vel proprium, vel legati, vel lex vtriusque Nequam participans, & si quem sponte saluat. Quemque Canon damnat, sibi soli quando reseruatur, Soluitur à Papa nec vnus quem regula damnat. Adhas suspensum, & cum causa referretur ad ipsum,

Rescripti

*Rescripti ac fidei dubium: confort bona plura,
Iritam infectum, legem condit generalem:
Approbat, Imperium firmat, deponit, & vngit.
Concilium generale facit, sancti quoque sanctos.
Eius non esse facit, non ens fore: pallia semper
Portat, concedit: legi nec subditur ulli.
Appellatur ad hunc medio sine, iudiciumque
Est pro lege suum, Monachum reuocat renuentem,
Matus adulterio soluit: generaliter arctat,
Et laxat quidquid sponsis notet Ordinat extra
Tempora, dando sacrum: promotum promouet idem,
Ordinat, atque die, qua consecratur, & ipse:
Viuenti, que locum concedit, iureque priuat:
Insignit, laico sacra donat, Ch. s'ona ministro.
Summa sede sedet, plenusque Vicarius extat.*

Et quamuis Speculator octoginta nouem privilegia Rom. Pont. connumeret: iustitiam a nemine ea, quæ Hostien- sis prædictis verbis complexus est, breuiter explicare.

Primum est, Papam nemini sub juri, & à nemine iudicari. *c. aliorum. 9. q. 4. nisi in crimine hæresis. c. Papa. d. 40.*

Secundum est: causas episcoporum, & superiorum Antistitum, hæc enim maiores in iure dicuntur ad ipsum referri, & ipsius sententia dirimi, & componi. Quare ipse solus è loco in locum episcopos transferat. *c. Quod translatio. 6. c. Inter corporalia. de Translat. idem iuris est de Translat. Abbatum exemptorum. Solus ipse episcopos, è gradu dignitatis deicit, c. quomodo. c. dudum. 3. q. 1. s. 6. & idem iuris est, de Abbatibus exemptis deiciendis, aut Ecclesias Cathedralis coniungit, aut diuellit, aut aliqua ratione mutat. *c. Quod translat. 6. c. 1. c. Inter corporalia. de Translat. solus item ipse ecclesiam erigit & constituit cathed. c. felix. c. pre. 16. q. 1.**

Tertium: solus Papa mutat, aut soluit, aut laxat, aut redimit votum castitatis, aut peregrinationis Hierosolymitanæ, gratia iuandis Christianis quibus commorantur. *c. Quod super his. 6. c. ex multa. de voto.* Iure quidem antiquo horum tantum duorum votorum relaxatio, vel commutatio, siue redemptio illi referuabatur: & commutatio, siue relaxatio, qua quis vobet in Religionem ingressum, aut peregrinationem, aut Apostolorum Petri, & Pauli limina, vel ad S. Iacobum Apost. Compostellanum in Hispania, consuetudine ceperunt olim referuari: sed deinde hæc tria vota iure nouo in Constitut. Sixti IV. Roman. Pontif. referuantur. *Extra. Et si Dominici in te com. de pen. 6. remiss.*

Quartum: solus Papa eximit, & excipit aliquos à iure & potestate Episcoporum. *Glossa communi consensu recepta in cap. frater 16. q. 1. c. de Privileg. in 6. sic solus ipse eximit episcopos ab Archiepiscopis. c. frater 16. q. 1.*

Quintum: Omnes maiores causas ad sedem Adem Apostolicam referuntur. *c. 2. de translat. ca. Maiores. de Baptismo. c. 1. de iuramento Calumniam.* Potro cause maiores sententur, quæ spectant ad articulos Fidei intelligendos, ad Canonicos libros discernendos: ad sensum sacrarum litterarum declarandum, approbandumque: ad interpretanda quæ dubia sunt, vel obscura in controuersis fidei, in iure Canonico, vel diuino: item ad declarandam, quæ ad sacramenta pertinent, videlicet, ad materiam, formam, ministrum, & alia huiusmodi. *24. quæst. 1. c. quoties.*

Sextum: solus Papa aliquos legitimis natalibus restituit, quod atinet ad ea, quæ spiritalia sunt. *c. per venerabilem. qui filii sunt legit.*

Septimum: Ipse solus restituit eos, qui solemniter titi sunt à Clericorum gradu deieci. *Gloss. in c. Ideo 2. q. 1. c. extra. s. ult. de Clericis non resid.*

Octauum: Solus ipse ad tres Ordines ecclesiasticos sacros promouere potest eos, qui nondum ad legitimam ætatem peruenerunt. *c. cum in cunctis, de Elect. aut eos, qui sunt bigami. c. 1. de bigamis in 6.*

Nonum: Nullus potest à sententia Roman. Pontificis

appellare. *capit. cuncta per mundum. 9. quæstion. 3.*

Decimum: solus ipse potest professionem Religionis irritam facere, hoc est, statueret, ne rata, & firma sit, si fiat ante certos ætatis annos, aut certa formula minime seruata, *communis sententia ex c. ad nostram. c. significatum, 6. cap. quia in insulis. de regulari.*

Vndecimum: solus ipse supplet, quod in contractibus defuit. *c. Illa quotidiana. de Elect. 6. cap. 1. de translat. hoc locum habet, quando aliquid quod ius Canonicum requirit, ac postulat, omisum est.*

Duodecimum: Ipse solus admittit renunciationes episcoporum, & aliorum etiam inferiorum, qui sunt ab Ordinariis exempti, *vt colligitur ex c. Si Abbatem. de Elect. in 6.*

Decimum tertium: Ipse solus remittit pœnas ob Simoniam in Ordine, vel beneficio contractas. *Quia Simoniacus 1. q. 1.*

Decimum quartum: Solus ipse relaxat, commutat, interpretatur iurandum in rebus & personis alicuius momenti, *c. venerabilem. s. eos. de Electio.*

Decimum quintum: Quem ipse anathemati subijcit, alius ab eo vinculo soluere non potest. *c. Inferior. dist. 21. 6. c. cum inferior. de maiorit. 6. obed.*

Decimum sextum: Quem ipse prudens, ac sciens salutat, ab omni interdicti & anathematis vinculo soluit. *Clemens. Si summus. de sent. excom.*

Decimum septimum: Nemo potest ab excommunicatione soluere, cuius absolutionem Rom. Pontificus Canonicum referuauit, *c. nuper. de sent. excom.*

Decimum octauum: Nullus potest irregularitatem tollere contractam ob impedimentum notabile animæ vel corporis, vel ob vitium natalium, vel ob infamiam aut crimen manifestum atque notorium dignum dispositione, quam vocant, & adulterio grauius. *c. si Clerici. de iudicis, 6. ibi DD. cum Glossa.* Vnde solus ipse dispensat cum eo, qui sciens bis Ordinem sacrum suscepit. *c. saluberrimè. 1. q. 7. vel bis Sacramentum Confirmationis, vel baptismatis accepit. c. eos. c. quibus. de consec. dist. 4. vel ob homicidium voluntarium, aut membri humani amputationem. in c. miror. c. si quis viduam. dist. 50.*

Decimum nonum: Quando causa, vel per appellationem, vel alia ratione ad Papam defertur, siue deuoluitur, nemo potest eam dirimere, vel de ea sententiam ferre.

Vigesimum, Quæ sunt dubia, vel obscura in Rescriptis pontificiis, vel mandatis Apostolicis, ipse solus interpretatur. *c. pastoralis. de fide instrum. c. cum venisset. de iudicis. c. 1. de Confirmatio. vti.*

Vigesimum primum: Ipse solus potest beneficia, quæ incompatibilia iure dicuntur, vni eidemque clerico conferre: cuiusmodi sunt beneficia similia sub eodem lecto, hoc est, in eadem ecclesia constituta, *DD. in c. literas. de concess. praben. Duæ itidem Cathedralis. DD. in cap. dudum. de elect. Duæ parochiales, vel beneficia eorum animatum habentia vel dignitatem, Abbas in c. de multa de praben. nu. 19. ea item in quibus iure, privilegio, vel consuetudine quis residere, vel commorari debet. *Concil. Trident. Sess. 7. c. 2. 3. 6. 4.* ea item, quorum vnum sufficit ad clericum honeste sustentandum. *Concil. Trident. Sess. 24. cap. 17.* Præterea ipse solus potest alteri ius conferre ad beneficium vacaturum, *cap. nulla. de concess. prab. cap. licet. 1. de praben. in 6.* Item, in beneficiis annuas pensiones constituere, & constitutas transferre, vel ius eas redimendi concedere: nam id *cap. primo, [ne beneficia sine diminutione conferantur.]* prohibitum est. Item, beneficium ad certum tempus, non in perpetuum conferre. *DD. in ca. cum temporalis. 7. q. 1. ca. 1. de Capoll. Monach. in 6.**

Vigesimum secundum: Ipse solus potest certis ex causis Regibus & Imperatoribus Regnum, aut Imperium adimere, id probat consuetudo in ecclesia recepta.

Vigesimum tertium: Ipse solus potest aliquem in Sanctorum cælitum numerum referre: hoc enim Sedi Apostolicæ referuauit Alexander III. *c. 1. de reliquiis 6. venerat. Sanctorum.* Quidam olim sentierunt, id iuris esse penes Episco-

pum in sua ditone: propterea quod *ca. 1. de Consec. d. 3.* dicitur: *Et illa festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus, cum populo collaudauerint.* Glossa tamen *eo in loco*, & *c. ult. de reliq. & venera. Sancto.* & constans Canonici iuris interpretum sententia docet, id ad solum Rom. Pontificem pertinere. Verisimile videtur, olim Episcopos consecuisse aliquos in sanctorum hominum in regno caelesti regnantium numerum adscribere statim, vt euidenter constaret eos pro Christo mortem subisse. Colebantur vero illi tanquam Sancti, hoc est, festi & facti: illis dicantur templa, vel altaria in eorum honorem erigebantur; publica sacrificia super eorum corpora, ossa, cineres, & reliquias offerebantur, eorum corpora, vel reliquiae publico & solemniter reponerentur, asseruabantur & colebantur. Et quia hoc Episcopi faciebant, Alexander III. id Rom. Pontifici reseruauit.

Vigesimum quartum: Solus ipse Rom. Pontifex potest multa irrita facere: rescindit enim si beneficia conferantur ab Episcopo, qui interdum violauit: *cap. tanta, de excess. Pralato.* Auferre etiam nutu suo, ita vt factum valeat, potest beneficia prius obtenta: *ex ca. per principalem. 9. quest. 3. Glossa ibi. c. in memoriam d. 19. c. quam sit graue multa, de excess. Pralato. Decius in c. ult. de confirmat. vtili.* multa item e contrario alioqui non rata, sua auctoritate confirmat, ita vt vim & robur habeant, communis sententia est.

Vigesimum quintum: Ipsi sunt generales omnium Episcoporum consensus cogere, & habere. *distict. 17. per multa capitula.*

Vigesimum sextum: Ipsi sunt omnibus Archiepiscopis pallium concedere: nam etiam si quatuor Patriarchae illud suarum ditionum Archiepiscopis conferre queant, non tamen omnibus in orbe terrarum constitutis. *c. anti-qua. de privilegiis.*

Vigesimum septimum: Etiam Abbate, & Monachorum Consensu laicis potest Monachum e Cenobio euocatum, & assumptum certae Ecclesiae praesidere, vel Episcopo, vel Principi adiutorem, & locum dare, vel apud se retinere. *c. per principalem. 9. q. 3.*

Vigesimum octauum: ad eum solum pertinet impedimenta matrimonium contra factum dirimentia tollere, ne vim & locum habeant. *ca. non debet. de consang. & affi.*

Vigesimum nonum: Nullus, nisi Rom. Pontifex potest extra tempora aliquem ad Ecclesiasticos ordines promouere. *c. consultati. de tempor. ord.* Item extra tempora nullus nisi ipse potest sacros Ordines diebus profanis conferre. *c. 1. & 2. c. de eo. de Temporib. ordinat.* Nemo item potest vna eademque die aliquem ad sacros duos Ordines prouehere. *c. distictus. de temporibus ordinatio.* Neque potest aliquis duobus continenter diebus duos Ordines sacros dare, puta Diaconatum sabbato, & die Dominico Sacerdotium. *c. Litteras. de temporibus ordinat.* Item, solus Papa potest concedere, vt quis ordines accipiat ab Episcopo alieno. *c. consultationi. cit.*

Trigesimum: Nullus potest ad superiores Ordines promouere ordinatum a Papa, sine ipsius consensu. *Doctores in ca. Cum in distribuendis, de tempor. ordin.* quamuis hoc ex eo capite non colligatur, vt Glossa notauit. ibi enim agitur de Subdiacono Romanae ecclesiae subiecto ratione domicilii, vel beneficii.

Trigesimum primum: Solus Papa in die sua consecrata potest ordines conferre. *quod sicut. & Praterea, de Elect.*

Trigesimum secundum: Eius solius est Abbatibus, & aliis inferioribus concedere Episcoporum insignia, mitram, baculum, & annulum. Vfus id probat, & communis sententia.

Trigesimum tertium: Solus ipse potest vnius auferre, & alteri concedere ex iusta causa. *c. cuncta. c. per prius. 9. q. 3.*

Trigesimum quartum: Ipse solus potest quaedam bona & iura Ecclesiastica laicis conferre, puta potest decimas partes fructuum ex beneficiis Eccl. iustis de causis Regibus & Principibus addicere. Item, potest Regi & Princi-

pi priuilegium concedere, vt beneficia in Ecclesiis suaditionis sita, obitu beneficiarii destituta, conferre queant. Potest etiam laico auctoritatem & potestatem dare, vt aliquos excommunicationis vinculo possit obstringere. *Borgas. de irregulari. p. 1. m. 40. vbi alios auferat.*

Trigesimum quintum: solus Papa potest committere presbytero, vt Christa consecrat, vel infirmorum oleum consecret, vel confirmationis Sacramentum ministrat, vel Minores Ordines conferat. *Abbas in c. ult. de consuet. qua-* quam quaestio in apud aliquos est dubia, an id etiam iuris possint quatuor Patriarchae delegare presbyteris sibi subiectis. Item, quaestio dubia est, an Papa queat presbytero concedere priuileg. quo possit sacros Ordines conferre. *c. de quibus libro proxime sequentem.*

Trigesimum sextum: solus ipse habet Sedem sibi a Domino traditam. *c. per venerabilem qui filii sunt legitimi, & ca. Monachos. de Baptis. & c. cum ad Monast. de statu Monach.*

Trigesimum septimum: Ipsi sunt Generale Conc. confirmare, & eius constitutiones probare vel improbare, & in te. petati, vt patet ex dist. 17. per multa capitula. *c. statutum. de elect. & de reser. 17. 6.* & aliorum scripta damnare e. *damnamus. de summa Trinit. & Fide Cathol. & c. Si Romanorum. d. 19. c. fraternalis. de Har.*

Trigesimum octauum: Ipse solus absoluit Incedarios publico excommunicationis vinculo adstrictos. *cap. conquest. cap. 1. de sent. excom.*

Trigesimum nonum: Ipse solus potest concedere Monacho, vt claustra egeat ad inferendum Pralato, vel Principi. *c. qui resistit. 9. q. 3.* & vt Nouitius eligatur. *Abbas. c. officii. de elect.*

Quadragesimum: Ipse potest concedere, vt Monachus, laicus, vel clericus secularibus minoribus solum Ordinibus iniciatus, Episcopus creetur. *ca. miramur. d. 61. c. Valen. d. 13.*

Quadragesimum primum: Solus Papa indulget potest, vt equi excommunicationis maioris vinculo obstrictus; Ordines sacros sciens suscepit, vel sacris est operatus, suo munere & officio fungi possit. *cap. cum illorum. de sen. ex.*

Quadragesimum secundum: Solus Rom. Pontifex facultatem dare potest Monacho Apostatatae, qui in Apostasia sacrum Ordinem recepit, vt minister queat in ordine recepto. *c. ult. de Apostata.*

Quadragesimum tertium: Solus Papa potest concedere, vt Religiosi professi, cenobium egressi ad audiendas leges, vel Medicinam, ad ordines promoueri queant. *cap. non magno. ne Cleric. vel Monach.* Idem iuris est de clericis secularibus dignitate, vel personatum, vel Patrociniale beneficium habentibus. *c. super specula. ne Cleric. vel Monach.*

Quadragesimum quartum: Solus Papa potest priuilegium concedere, vt quis solus tor a lege, qua quisque decimam partem fructuum soluere cogitur, *c. ex parte. & c. suggestum est. de decimis.*

Quadragesimum quintum: Ipsi sunt nouos Religiosorum Ordines approbare: hoc enim Innocent. III. in *Conc. Later. Sedi Apoll. reseruauit, vt habetur c. ult. de religio. de- mib.* propterea quod quidam nouos Ordines fundauerunt, & erexerant, qui in multis a recto veritate aberrauerant. Et alii nouorum quoque Ordinum inuentores sepe a Rom. Pontifice approbationem petierant, nec tamen impetrauerant. Olim Religiosorum statuta & regulae ab Episcopo approbantur, ita vt quisq. in sua Diocesi non extra approbaretur.

Quadragesimum sextum: Nemo potest clericos adigere ad contribuendum aliquid etiam in utilitatem, vel necessitatem urbium, vel aliorum locorum, quamuis non suppetant laicorum facultates, nisi prius Romano Pont. consulto. *c. Aduersus. de Immunit. Eccl.*

Quadragesimum septimum: Solus Papa potest plenissimas peccatorum condonationes, hoc est, indulgentias concedere. *Dist. in c. Cum ex eo. de priuileg.*

Quadragesimum octauum: Solus Papæ est generales Canones condere. *c.ideo permittentes. §. Si ergo primum. 25. g. 2. Præterea in 6. & Clementinis multa alia Romano Pont. referuntur.*

Primum in *c. ult. de rescript. in 6.* solus Papa concedit, vt Beneficiarius, quamuis perpetuo ab sit ab Ecclesia ex aliqua iusta causa, fructus beneficii percipiat.

Secundum: Nullus, præter Roman. Pontif. potest renunciationem beneficii admittere; gratia alterius factam *c. deliberatione. & prohibemus. de off. iud. dele. in 6.*

Tertium: In eadem Ecclesia absque indulgentia Rom. Pontificis, nemo potest duos Personatus, vel dignitates, vel præposituras, vel Administrationes, vel officia, vel eorum altera cum Canonica simul habere. *cap. 1. de Consuetud.*

Quartum: Ecclesiæ Cathedralis administrationem nemo potest dare, nisi Papa. *c. Is cui de elect. in 6. & c. Ecclesiæ Cathedralis, de supplen. neglij. Prælat. in 6.*

Quintum: Beneficia in Curia Romana vacantia nemo conferri nisi Romanus Pontifex. *cap. 2. de Præben. in 6.*

Sextum: Episcopo adiutorem nemo dat, nisi Papa, *sa. 1. de Elect. in 6.*

Septimum: Nemo nisi Papa, concedere potest, vt Religiosus habeat plures Ecclesias. *c. Cuius singula. de Præben. in 6.*

Octauum: ij, qui S. R. E. Cardinalem hostiliter fuerint insequuti, vel percusserint, aut ceperint, vel socii fuerint facientium, aut fieri mandauerint, vel factum ratum habuerint, aut consilium dederint, aut postea recaperauerint, vel defendent scilicet, postquam missi ad penitentiam agendam ultra mare, sine Rom. Pontificis consensu redire non possunt, *c. felicit. §. cum autem. de poenit. in sexto.*

Nonum est, in *cap. Hoc consiliosissimo. de rebus Eccl. non alienan. in sexto.* Vbi vniuersi, & singuli Prælati prohibentur Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum laicis submittere, subijcere, seu supponere absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ Sedis licentia speciali.

Decimum, & Vndecimum: habentur in *cap. 1. de Religios. domib. in sexto.* Videlicet, vt Religiosi professi in Ordinibus Regularibus, approbati auctoritate Papæ post Concil. Lateranen. sub Innocentio Tertio nullum ad professionem recipiant, loca noua non emant, & vetera non vendant, sine licentia Sedis Apostolicæ: eamdem dispositionem Romani Pontificis referuat, vel in Terræ sanctæ subsidium, vel alios pios vsus, per locorum Ordinarium, vel eos quibus ipse Papa commiserit, conuertenda. Quam tamen Constitutionem dicit Pontifex ad Prædicatores & Minores non extendi, propter euidentem vtilitatem ipsorum: nec ad Carmelitas, vel Eremitas Angustinianos, quia Concilium præcellerunt. Item, vt quamuis personæ regulares ordinum, ad quos pretenditur constitutio, possint licite transire ad alios ordines approbatos, sed non conuentus ad conuentus, sine speciali licentia Papæ.

Duodecimum: in *c. 1. de Schism. in 6.* Vbi Iacobum & Petrum Columenses Cardinales, Cardinalitia dignitate priuat, & aliis poenis afficit Papæ referuatis.

Decimum tertium: in *c. 1. de excess. Prælati in 6.* Mendicantes religiosi non possunt acquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, vel mutare, sine speciali licentia Papæ.

Decimum quartum: in *Clemen. Ne Romani, de Elect. Collegitum Cardinalium, sede vacante, iurisdictionem papalem exercere non potest, nisi quatenus permittit Lugdunense Concilium sub Gregorio X.*

Decimum quintum: in *Clem. In plerisque, de elect. sine speciali licentia Papæ, nullus potest pastores dare Ecclesiæ Cathedrali sibi qualitercumque subiectæ; quæ Clero careat, & populo Christiano. Religiosus à Prælati suo licentiam habere non debet, vt in tali prouisione consti-*

tat. Consentiens etiam si fuerit consecratus, sui Monasterii Priori Prælati subiectus manet, nec in Episcopum recipitur; nec ad aliquem honorem promouetur, & quæ contra fient, irrita decernit.

Decimum sextum: in *Clem. Dudum, de Iudiciis. Constitutum Bonifacii VIII.* quæ habet, vt citationes extra dies solemnes publice factæ, mandato Papæ in Auditorio Apostolico, affixæ ianuis maioris Ecclesiæ in loco, vbi Papa, cum curia commoratur, obligent eum, qui citatur, petinde, ac si ad ipsum personaliter decressissent, & stringit Clemens V. ad eos, qui impediunt, ne ad ipsos possit citatio peruenire: & ad eos, ad quorum domicilia tutus non patet accessus.

Decimum septimum: in *Clem. Quia contingit de Religios. domibus.* Legata ad pias causas facta nemo alius nisi Rom. Pontifex potest ad alios vsus conuertere, vel transferre.

Decimum octauum: in *Clemen. 1. de censibus.* Solus Papa concedit priuilegium Monasteriis, & Ecclesiis Religiosorum, vt liberentur ab obligatione soluendi procuratorum Legatis Apostolicis, & iura Episcopalia.

Decimum nonum: in *Clemen. Cupientes, de Poenit. Vbi Papa excommunicat violatores constitutionis Decret. 1. de sepul. in 6. & absolutiones sibi referuat.*

Vigesimum in *Clemen. 1. de priuilegiis,* in qua Papa ponit sex casus, in quibus religiosos excommunicat, & absolutionem sibi referuat. Porro casus sunt: *Si Religiosi Clerici, aut laici Sacramentum vnctionis extreme, vel Eucharistia ministrare presumpserint, matrimonium solemniter, non habita super his Parochialis presbyteri licentia speciali: aut qui excommunicatus à Canone præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ, concessis, vel à sententiis per statuta prouincialia, aut Synodalia promulgatis, absoluerit quemquam presumpserint, in excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absoluedi.* Sic ibi.

Vigesimum primum: in *Clem. Litteris, de Probationib. Vbi habetur: Verba literarum Apostolicarum, quib. Papa proprium factum narrat, plene probant, si super illis gratia vel intentio Papæ fundatur.*

Vigesimum secundum: in *Clem. 1. de Elect. Nullus nisi Papa concedere potest, vt Religiosus aliquis eligatur in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus: nam si contra fiat, est irritum & inane.*

Vigesimum tertium: *est apud Doctores in Clem. 1. de celebrat. Missar.* Nullus nisi Papa potest soluere clericis sacris Ordinibus initiatis ab obligatione recitandi preces Horarias diurnas & nocturnas.

Præterea in Constitutionibus, quæ extrauagantes dicuntur, quædam etiam Romano Pontifici referuntur, primum, vt nullus possit esse Comes, vel Capitaneus in locis, vel terris Romanæ Ecclesiæ ditioni subiectis, sine consensu Romani Pontificis. *Extrauag. Ecclesiæ Rom. de Maior. Obedi. inter Extrauag. Ioan. 22.*

Secundum: Quando aliquis recipit secundum beneficium, quod incompatible cum alio, iura vocant, & illius possessionem adeptus est, vel per ipsum stat, quo minus illud assequatur: ita vacat primum incompatible, vt illud statim dimittere in Ordinarii manibus cogatur: quod si non dimiserit, vtrumque vacat, Romani Pontificis solius est illud tunc conferre. *Extrauag. Execrabilis de Præben. §. Qui vero deinceps, inter Extrauagantes Ioan. 22.*

Tertium: habetur in *Extrauaganti, ad Apostolatus: de concess. præben. Ioan. 22.* vbi facta diuisione Episcopatum, nihil detrahi potest iuri Archidiaconi, vel alicuius alterius dignitatem habentis in Ecclesia Cathedrali, quæ diuiditur: nisi quod Romani Pontificis auctoritate in ipsa diuisione, vel postea fuerit constitutum.

Quartum: vt vacante Imperio nullus sibi assumat nomen Vicarii Imperatoris, vel cuiuscumque alterius publici ministri, sine peculiari Romani Pontificis consensu: & qui id non seruaerit, puniuntur, *Extrauag. Si fratrum, n. sede vacante Ioan. 22.*